REPLICA.

SEV,

ADVERSUS NUPERRIMAM CONFUTATIONEM ALIQVOTÆ particulæ Partis prioris Apologiæ *THO. MORTONI,*

(Authore C. R. Theologo)

Brevis Velitatio.

LONDINI,

Typis R. B. *Impensis* R. Whitaker, *&* R. Badger.

MDCXXXVIII.

ORNATISSIMIS ACADEMICIS CUJUSCUNQUE CLASSIS in Seminariis Anglorum transmarinis, Gratia & Pax in JESU CHRISTO.

VErsatur jam, credo, in manibus vestris (Theologi eruditi, in Christo dilecti) ea, quæ antè paucas septimanas ad manus meas pervenerat, adversùs D. Mortonum CONFUTATIO, gemellis Angliæ Academiis dicata. Cujus dedicationis ratio mihi etiam suggessit vos vicissim salutandi opportunitatem: & hoc quicquid est Opusculi Fraternitati vestræ nuncupandi, ut liquidò cernere & dijudicare possitis, veriusnè dixerit Author vester, Me Protestantium Causam prodidisse, simul ac perdi-

dissé, *an ego illum ostenderim cùm Calumniatoris strenui, tùm etiam vaferrimi dissimulatoris partes præstitisse. Qui sanè quis fuerit, vestrorum hominum susurratio insinuare, & Authoris ipsius* Præfatio *subindicare videntur; in qua* Smithæi *mentionem faciens, dicit ab Illo quondam* Apologiam *nostram certis Argumentis impugnatam fuisse: quam nunc* Ego volui *(inquit)* ex professo refellere. *Quidni igitur is sit* Ille ego qui quondam—— *nimirùm ipsissimus* Smithæus, Chalcedonensis Episcopus *nuncupativus*, Theologus *sanè eruditus: qui cur in me vehementiùs excandesceret, rationem hanc reddit, quòd Pontificios ex Pontificiorum testimoniis impugnandi* rationem, *ut ait*, primus inierim. *Sed Pontificius quivis ringatur, vel etiam rumpatur licet, non me pigebit ex Adversariorum, veluti Advocatorum nostrorum ore, Catholicam Protestantium Causam vindicare: Apostolum ipsum secutus, cùm Poetam haud ignobilem adversùs* Cretenses *ipsos urgebat, quem eorum* Prophetam *nuncupavit.* Tit 1. *Sed quid* Confutator *tandem de Confutatione sua?* Hanc *(inquit, Academicos nostros compellans,)* ut legatis & expendatis, per salutem vestram obtestor. *Cujus ego* Obtestationi *lubens assentior; imò verò ego vos (Academici) non modò per* salutem vestram,

Verum-

verumetiam per Authorem ſalutis Ieſum Chriſtum *efflagito, atquè adeò adjuro, ut ad Rationes eas facilem ac diligentem attentionem præbeatis; quibus animas veſtras à multiplici hæreſi atquè perjurio, quo nova veſtra* Fides *(quam tamen* Catholicam *vocatis) neceſſariò vos implicat atquè involvit. Quod dùm paucis demonſtro, vos, quæſo, æqui boniquè conſulite.*

De novo Symbolo Romanæ fidei, per pluſquàm duodecim novos Articulos, præſcriptos ſub forma Iuramenti.

EXtat (uti probè nôſtis) *Bulla Pii Quarti Papæ ſuper forma Iuramenti*, quâ cujuſlibet ordinis (etiam *Militaris*) perſonæ Eccleſiaſticæ univerſæ aſtringuntur ad eorundem omnium Articulorum profeſſionem; tanquàm quæ ſint *Catholicæ fidei* Principia fundamentalia: quos propterea hâc Clauſulâ munîverunt, & quaſi animârunt, viz. [HÆC EST FIDES, EXTRA QUAM NEMO SALVUS ESSE POTEST.]

Pontificios non poſſe Symboli ſui Articulos abſq; multiplici perjurio profiteri.

NOvos Articulos condere, tanquàm *Fundamentales*, id eſt, neceſſarios ad ſalutem credentium, eſſe reverà totidem hæreſes orbi obtrudere, *Tertullianus* &

Vincentius Lirinensis ex professo comprobârunt. Vestrorum etiam Articulorum novitatem ut faciliùs deprehendamus, & quasi manu palpemus, faciunt Regulæ duæ; quarum prior in negatione, posterior in affirmatione posita est: nam vestri Articuli sub *forma Iuramenti* administrantur eis, qui eorum falsitatem noverint; professio igitur eorum hæretica juxtà & perniciosa fit necesse est.

Regula 1.

REgulam hanc vobis jamdudum Jesuita vester *Suarezius* tradidit. *Aliquando constat* (inquit) *de initio Traditionis solùm per negationem, quià potest constare aliquo tempore, propè initium Ecclesia non fuisse talem consuetudinem aut doctrinam—— quæ cùm non sit Universalis in tempore, non potest facere fidem Catholicam, quæ debet esse tempore Universalis.* Sic ille,(de Trip. veritate, Disp. 5. Sect. 4. num. 4.) Hæc Regula os vobis obstruet, quoties à nobis exigitis, (exigitis autem sæpissimè) ut aut ostendamus *Tempus*, & *Autorem primum* Articulorum vestrorum, aut silentium nobismet imperemus. Imo, inquimus, vobis priùs incumbit probare doctrinam vestram fuisse talem *propè initium Ecclesiæ*, alioqui *Catholica* non erit. Unde necessariò infertur, in Juramento vestro multiplex hæresis simul & perjurium.

Articulus, Instantiæ Causâ.

TRaditur in Symbolo novo vestro Articulus *de Igne Purgatorio*, quo post mortem animæ excruciantur, de quo in eodem Symbolo jurandum est; *Constantèr credo*

credo Purgatorium esse: Et, *Hæc est fides, extra quam nemo salvus esse potest.* Cùm tamen tantùm abest, ut hæc doctrina fuerit *propè initium Ecclesiæ*, adeóq; *Catholica*, ut testetur Episcopus vester Roffensis, *Nullam aut rarissimam fuisse apud Græcos Purgatorii mentionem: sed neq; Latinos omnes simul veritatem ejus concepisse.* Imò, *non apud Græcos usq; ad hunc diem creditum fuisse.* Sic ille, & sanè verissimè. Cùm igitur sub forma Juramenti profitemini doctrinam eam esse *Catholicam & fundamentalem*, quæ *Tempore, propè initium Ecclesiæ*, Catholica non fuit, falsonè jurando potestis non pejerare? Articulos igitur ejusdem Symboli *de Indulgentiis, Cultu Imaginum*, & cæteros omnes in eandem spongiam incumbere, si exactè examinentur, necesse est.

Regula 2.

HUjusmodi Articulos tanquàm fundamentales & Catholicos creare, & sub Juramento profiteri; quibus Ecclesiæ multò antiquiores repugnârunt, Professores reos constituit tùm hæreseôs, tùm etiam perjurii; quòd nemo sanus inficiabitur. Articulos aliquot examinemus; & cùm de doctrina Ecclesiæ Rom. instituta sit quæstio, ab ipsa Ecclesia Romana auspicari par est.

Articulus de Romana Ecclesia, ceu Matre omnium Ecclesiarum.

BUlla Juramenti Artic. *Ecclesiam Rom. omnium Ecclesiarum Matrem agnosco*, (in Synodo Trid. Sess. 18. *Matrem communem*) *extra quam fidem nemo salvus esse potest.* En vestrum perjurium! quippè, vobis ipsis confitentibus,

tentibus, Ecclesia *Hierosolymitana*, *Cæsariensis*, *Antiochena*, ipsa *Græca*, imò etiam à toto orbe divisa *Britannica* nostra fuit, antequam Ecclesiæ Romanæ vel nomen vel nota ulla extiterat. Omnium Ecclesiarum esto μητροπολις & Avia *Hierusalem*, ejusdem filia *Antiochia*, hujus *Roma*. Si quis *Romæ* filius dixerit *Romam* harum esse *Matrem*, annon contra naturæ jura, sensumque omnium communem susque deque vertit *Matrum*, *Sororum*, *Matertarum*, *Filiarum* ordinem? Quod si asseratur, delirium; si ex Juramento, meritò dicitur perjurium.

De Ecclesia Rom. ceu Magistra omnium Ecclesiarum.

TAlem enim esse, in Bulla Papæ jurandum esse præcipitur; sc. *Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Magistram agnosco. Hæc est fides, extra quam nemo salvus esse potest.* Titulus duplicem *Magisterii* prærogativam Ecclesiæ Rom. complectitur; unam *Docendi* & instruendi: alteram prædominandi & *Gubernandi*. Brevitatis causâ tantùm de priore, atque quoad fieri potest paucissimis. 1. In docendo illa *Infallibilitatem* sibi soli sola arrogat, quæ si esset vera, præcipuè in doctrinis eis eluceret, quæ ad Scripturam divinam pertinent.

Articulus de Doctrina in designando quæ sit Scriptura Canonica.

BUlla pro forma Juramenti in Symbolo Rom. mandat, *Credenda esse omnia tradita, decreta, & declarata in Synodo Trid.* —— *Extrà quam fidem nemo salvus esse potest.*

poteſt. Illa opinione *Infallibilitatis Rom. Eccleſiæ*, cujus Pontifici omnia ſua decreta ſubjicit, *Canon* Divinarum Scripturarum quis ſit ſtatuit, & inter alias *Epiſtolam ad Hebræos* recenſet, & rectè illud quidem. Sed an propterea, quià eſt Magiſtræ Rom. Eccleſiæ infallibilitas, quaſi in diſcernendo *de Scripturarum Canone* errare omninò nequeat? Atqui vos omnes hanc fidem imbibiſſe, documento nobis eſſe poteſt Objectio illa veſtra, quâ Proteſtantes urgere, premere, vexare, & (ut vobis videtur) penitùs obruere conamini. *Vndè didiciſtis* (inquitis) *has eſſe Scripturas Canonicas, niſi ab Eccleſia Rom? propterea ab ea Magiſtra interpretationem Scripturarum addiſcere oportet, à qua earum Canonem indubitatum accepiſtis*. Cui Objectioni niſi occurratur, de noſtra *Salute* ſcilicet actum eſſe dictitant. En igitur vobis Reſponſum, quod nobile illud par antiquorum Patrum ſuppeditârunt, de Epiſtola ad Hebræos. Prior eſt *Hieronymus* (*in Eſaiæ cap. 6. & Epiſt. ad Evagrium*:) *Quod ſi Latina Conſuetudo* (inquit) *hanc non recipit inter Scripturas Canonicas, Nos tamen ſuſcipimus*. Sic ille: Ecqua ratio? Attendite, obſecro. *Epiſtola ad Hebræos non ſolùm in Orientalibus Eccleſiis, ſed etiam ab omnibus Græci ſermonis Scriptoribus recepta eſt*. Hactenus *Hieron*. Et jus idem præferendi judicium Eccleſiæ Græcæ judicio Eccleſiæ Romanæ, *Auguſtinus* ſibi vendicavit, (de Peccat. meritis & remiſſ. lib. 1. cap. 27.) ubi agitur de authoritate Epiſt. ad Hebræos.) *Me tamen* (inquit) *magis movet authoritas Orientalium, quæ hanc quoque inter Canonicas habet*: Sic ille. Ex hac una Inſtantia pellucidum fit Perjurium veſtrum, quo in hac quæſtione, *de Infallibilitate Eccleſiæ Rom.* aſtricti eſtis, cujus judicium in re maximi momenti (quæ eſt verus Scripturarum Canon) lubricum olim & fallax fuiſſe vobis conſtat.

Articulus de Vulgata Translatione Scripturarum.

ARticulus ille in Symbolo, *De indubitanter recipiendo atq; profitendo omnia decreta, definita, & declarata in Synodo Trident.* —— *Extrà quam fidem nemo salvus esse potest.* Cujus Synodi Decretum (Sess. 4.) sic se habet; *Hac vulgata Editio pro Authentica habeatur, ità ut illam rejicere quovis prætextu nemo audeat.* Hic Articulus copiosè discutitur in Tractatu nostro de Missa. (Lib. 8. Cap. 2.) Summa est: Testantur vestri Pontificii Doctores, *Vulgatam ideò Authenticam dici, quià Originali conformis est, non tantùm in rebus fidei aut morum, sed etiam (exceptis Typographorum erroribus) in aliis, ità ut sensus verior non detur.* Ego, missis aliis plurimis Instantiis, unicam vobis proponam, quam vestri *Hæretica pravitatis Inquisitores*, scilicet, nobis suggerunt in suo *Hispanico Indice Expurgatorio. Quamvis* (inquiunt) *hæc quæ Hieronymus & Augustinus docuerunt* VERA *sint, tamen post Concil. Tridentini decretum non licet vulgatæ Latinæ Testimonia quovis prætextu rejicere, prout ipsius Concil. decreto constitutum est.* Sic illi. Atqui verò sancti Patres credebant *Latinam Vulgatam*, quoties ab *Hebræis* aut *Græcis* dissentiret, ab ipsis Originalibus esse corrigendam: quod licèt *verum* fuerit, tamen post Synodi Decretum per vos non licebit etiam sub *prætextu Veritatis* contrà mussitare. Ex hoc sese prodit vestrum execrabile perjurium, contra ea, quæ Juranti *vera* esse constat, juramento profiteri. Aliud jam occurrit nobis documentum perjurii vestri, per aliam ex eisdem Patribus instantiam, *Ephes.* 1. 14. (secundùm Vulgatam Latinam:) *Signati estis Spiritu promissionis,*

missionis, quæ est pignus salutis vestræ.] Patres illi duo, juxtà Græcum textum; [*Signati estis Spiritu promissionis, quæ est arrhabo, seu arrha salutis vestræ:*] & pro veritate hujus Translationis rationem luculentam attexunt: *Quià cui datur pignus, is, cùm res acceptà redditur, amittit pignus: at arrha, seu arrhabo de pretio facit obligamentum, quod sit complendum, non auferendum. Sic Deus dat charitatem per Spiritum suum, non ut pignus, quod auferendum sit, (absit!) sed ut arrha, quià id quod dedit implebit.* Sic hi Patres (respectivè) *Hieron. in Ephes. 1. & Aug. in Serm. de Visione Dei, pag.* 1687. Appello Ego conscientias vestras, (nam hîc reverà *agitur de Animarum salute*) ut perpendatis quæ tetrior esse possit pejeratio, quàm vi Juramenti in eas redigi angustias, ut id tanquàm *fidei Articulum fundamentalem* teneam, quod repugnat veritati divinæ, ut jam S. Patres vos docuerunt.

Articulus de genuino sensu Scripturarum.

ARticulus in novo Symbolo Rom. *Sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenet & tenuit Mater Ecclesia, admitto. ——Extrà quam fidem nemo salvus esse potest.* Hic quoque Articulus pro Infallibilitate perpetua Ecclesiæ Romanæ conscientiis vestris imponitur, ut nimirùm credatis & profiteamini, *Ecclesiam Rom. nec tenuisse unquàm expositionẽ ullam Scripturarum, quam non nunc tenet ut veram: nec nunc tenere, quam non antiquitùs ut veram et Catholicam esse crediderit.* Primò de [TENUITE] vel una Instantia satisfacere nobis poterit. *Ioh. 6.* [*Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*] *Olim Ecclesia Rom.* (sub Papa Innocentio primo, teste Maldonato Jes.) *adducta fuit*

Infantibus Euchariſtiam dare, argumento ſumpto ex his verbis Chriſti [*Niſi manducaveritis, &c.*] Sic ille. (Lib. de Sacram. diſp. de Euchariſtia.) Et rurſus, *Credidit infantes jam baptizatos ſalvari non poſſe, niſi Euchariſtiam perciperent: quæ ſententiâ ſexcentis Annis in Eccleſia viguit.* (Comment. in Joh. 6.) Nec non Binius veſter, *Sexcentos annos viguit in Eccleſia, Euchariſtiam infantibus neceſſariam eſſe ad ſalutem.* Sic ille. (Editione Colon. An. 1618.) Ubi etiam docet, undè Rom. Eccleſia doctrinam illam deprompſerit, nempè ex verbis Chriſti *Ioh. 6.* [*Niſi manducaveritis, &c.*] At poſt mille annos Concil. Trident. (Seſſ. 24. Cap. 4.) planè contrarium. *Parvuli nullâ obligantur neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem —— neq; ideò damnanda eſt Antiquitas, ſi eum morem in quibusdam locis ſervavit: quia certè eos nullâ ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.* Sic illa Synodus, duo ſtatuens; primum, quo veritatem adſtruat, *de nulla neceſſitate* adminiſtrandi Euchariſtiam Infantibus. Alterum, Romanam Eccleſiam, tempore *Innocentii*, non docuiſſe Ritus iſtius *Neceſſitatem*: quo nihil falſius dici potuit. His penſitatis, triplici perjurio deturpari & commaculari Conſcientias veſtras neceſſe eſt. Primum, jurando vos credere dogma illud verum eſſe, quod *reipsâ* falſum eſt: nempè, quòd Eccleſia veſtra olim per DC. Annos *Tenuit*, jam verò *non Tenet*. Alterum, jurando credendum eſſe, quicquid *à Synodo Tridentina declaratum eſt*: ideoque *certè & ſine controverſia* olim Euchariſtiam non datam fuiſſe Parvulis, in opinione *Neceſſitatis*. Quamvis hæc Aſſertio *Certè & ſine Controverſia* falſiſſima eſt, ut ex allegatis Teſtimoniis jam probavimus. Tertium, jurare obligari vos ad utrumque *fide* illâ credendum, *Extra quam fidem nemo ſalvus eſſe poteſt*; quo

nova creatur fidei Christianæ doctrina fundamentalis: undè unà cum perjurio manifesta hæresis introducitur. Hæc de prima parte Articuli quoad [*Tenuit*] falsum.

Articulus de expositione Scripturæ, quam jam Tenet, *falsâ.*

TOt sunt Scripturarum loca, quæ in hunc finem proferri possint, ut copia mihi certè noceat: locum eum duntaxat urgebo, qui memoriæ primùm occurrit, *Matth. 36.* [*Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*] De quo textu Bellarminus: *Ex hoc loco probatur Monarchia Petri: communis est Catholicorum sententia, Petram esse Petrum, ut publicum Pastorem Ecclesiæ.* (Lib. 1. de Pontif. Cap. 10.) *Adsis, Luthere, per Petram Petrus intelligitur: Veritas adversùs te triumphabit.* Sic Rossens. (Art. 23. cont. Luther.) & Baronius. *Per Petram Petrum intelligi, non ut Novatores: qui eò dementiæ provecti sunt, ut non erubescant dicere, non intelligendum esse de Petro, sed de Christo.* (Ad Ann. 33. num. 21.) Hæc igitur est interpretatio, quam jàm *Tenet* Ecclesia Rom. quam tamen facilè omitterent, nisi quòd in gratiam novissimorum Pontificum Rom. ex *Petra* hac sperarent se exculpere posse *Romanum Papam*, nempè (qualem jam Bellarminus definivit) *Monarcham Ecclesiæ.* Nos autem dicimus, *per Petram*, intelligi *Confessionem Petri*, quâ non seipsum, sed *Christum* confitebatur, & prædicabat esse *Filium Dei.* An verò Rom. Ecclesia eandem olim *Tenuerit*, rectiùs addiscere nemo potest, quam si Romanos Pontifices consulat: de quibus Stapletonus vester testatur; *Per Petram intellexerunt confessionem Petri Pontifices quidam, ut Leo 1. Agatho 1. Nicolaus 1. Adrianus 1.* Hæc ille. (Lib. de doctrin. princip. Controvers. 2. Lib. 6. Cap. 2.) Proindè hæc *Petra salutis* facta est vobis *Petra scandali*, per necessariam

pejerationem veſtram tàm quoad TENET falſum, quàm quoad, TENUIT.

Articulus de expoſitione Scripturæ, juxtà Conſenſum Patrum.

IN Symbolo novo Rom. Artic:----*Nec Scripturam ullam, niſi juxtà unanimem conſenſum Patrum interpretabor---Extra quam fidem, nemo ſalvus eſſe poteſt.* Quo Articulo fucum hominibus imponunt nequitèr, dùm obtendunt ſe facturos, quod nec feciſſe, nec unquàm ſe facere poſſe optimè nôrunt: & reverà, ratione Iuramenti, in ſe continet quaſi ſcaturiginem pejerationum. Quid enim? ut pro qualibet veſtra Scripturæ expoſitione, de rebus controverſis, *unanimem conſenſum Patrum* verè vendicare poſſitis? prodigioſa jactantia hæc, atque etiam, ſub juramento, execrabile perjurium. Nam (ut nihil nunc proferam niſi vobis ſatis notum) primò nulla eſt Scripturarum omnium, quam Patres omnes expoſuerunt. 2. Quià plurimæ ſunt, in quibus exponendis admodùm diſſentiunt. 3. Doctores veſtri expoſitiones eorum plurimas paſſim pro libitu reiiciunt. 4. Etiam nonnunquàm *unanimem conſenſum* ex profeſſo reſpuunt. Unum vel alterum ſpecimen dabo earum, quæ nunc ſunt mihi ad manum. Toletus Ieſ: in hæc verba Pſal. 31. [*In chamo & fræno.*] *In hujus verſiculi explicatione, nec Graci, nec Latini, nec qui Hebræos ſequuntur, mihi perfectè loqui videntur.* Maldonatus Ieſ: in Matth. 19. 11. [*Non omnes capiunt hoc verbum.*] *Id eſt, non omnes præſtare poſſunt, ut ſint ſinè uxore; quià carent dono continentiæ. Sic quidem ferè Omnes exponunt, quibus equidem non aſſentior.* Vultis Ieſuitæ huius præfractum ingenium dignoſcere? Idem in *Ioh.* 6. [*Caro non prodeſt quicquam.*] *Sic Ego* (inquit) *expono, & licet Expoſitionis meæ Autorem nullum habeo,*

hanc

hanc tamen magis probo quàm Auguſtini, cæterorumq́, alioqui probabiliſsimam, quià hæc cum Calviniſtarum ſenſu pugnat. O Cyclopicam audaciam! Item *Rom.* 5. [*In quo omnes peccaverunt.*] De hoc loco Canus. (Loc. Theol. lib. 7. c. 1.) *Ex hoc loco ſancti omnes uno ore aſſeverârunt, B. Virginem conceptam fuiſſe in originali peccato: quamvis nullus Author contravenerit, infirmum eſt tamen, ex omnium Patrum conſenſu, argumentum.* Similiter Salmeron. Jeſ. in eundem locum: *Alii proferunt ducentos Patres, alii trecentos. Reſpondeo, nos aliam multitudinem* (nempè recentiorum Theologorum) *opponimus: ſed & illud aſſerimus, Doctores juniores perſpicaciores fuiſſe.* Sic ille,; quorum Scripta paſſim ſcatent iſtiuſmodi Antilogiis.

Articulus de Ritibus.

IN novo Symbolo Rom. Juramentum. *Receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus, in Sacramentorum omnium ſupradictorum ſolenni adminiſtratione, recipio atq́, admitto. ——Extrà quam fidem nemo ſalvus eſſe poteſt.* Inſto in Ritu de Privata Miſſa, de qua Synod. Trident. (Seſſ. 22. Cap. 6.) *Sacra Synodus Miſſas eas commendat ac approbat, in quibus ſolus Sacerdos communicat.* Etiamſi Sacerdos, cùm ſolus eſt, palàm pronunciet, [*Dominus vobiſcum*] & rurſùs, quaſi alterum alloquens, ſolus ipſe viciſſim reſpondeat, [*Et cum ſpiritu tuo.*] Et quamvis hic Ritus fuiſſet per Pontifices Romanos rejectus atque damnatus, quí propterèà decreverunt, ut *Soter* Papa, (circa An. 170.) *Nullus præſumat ſolus celebrare, niſi duobus præſentibus:* (Teſte Hardingo Art. 1. diviſ. 20. contra Juellum) & *Gregorius* primus Papa; *Miſſa nequaquàm debet à ſolo Sacerdote celebrari ſine eis qui circumſiſtunt.* (Lib. de Capitulari. Cap. 7.) Item *Innocentius* tertius Papa: *Statutum eſt in ſacris Canonibus, ut nullus Sacerdos ſolus celebrare præſumat ſine duobus præſentibus,*

quià

quià dicendum eſt in plurali, [*Dominus vobiſcum*] De offic. Miſſæ Lib. 2. Cap. 20. Ex viginti Ritibus, qui pariter objici poſſunt, hunc unum propoſui, ut exemplo uno nefandum, prodigioſum, & execrandum Eccleſiæ veſtræ Rom. Perjurium diſcernere juxtà & deteſtari poſſitis. *Draco* legitur leges ſanguine ſcriptas, quaſi mortales, de quovis delicto ſanciviſſe: Illa verò altiùs immortalem tyrannidem exercet in hominum animas, dùm ſalutis æternæ diſpendium denunciat ei, qui fortè reprehenderit ridiculam futilitatem *Tridentinorum Patrum, de Sacerdote ſolo communicante*, (quidni etiam de ſolo combibente?) vel niſi Miſſam, à ſolo Sacerdote celebratam (prout eadem Synodus dixit) *commendet & approbet*; quamvis antiqui Pontifices eam ut à ſacris *Canonibus*, & communi ſenſu abhorrentem condemnârint.

Omnes reliquos Articulos proſequi temporis anguſtiæ prohibent: in poſterum verò, ſi modò hoc laboris penſum operæ vobis pretium videbitur, recipio, ſpondeo, atquè adeò voveo me Tractatum integrum elaboraturum, quo quæ in cæteris veſtris Articulis injuriæ ac perjurii fœta myſteria lateant, vobis explicem, ſi, per Dei gratiam, Lucubrationibus meis momentaneis veſtræ ſaluti æternæ conſulere valeam.

Denique non eſt quòd quiſquam Romano-Catholicus apud ſe muſſitet, non recepiſſe ſe hoc *Iuramentum*, nec ibi degere, ubi receptum eſt; non eſt enim excuſatio hæc, ſed pernicioſa deluſio: nam non quæritur an *Romæ* maneas, ſed ſi fortè illic manſeris, quià animarum Judex & Vindex homines non ſolùm ex facto, ſed etiam ex propoſito & voto metitur. Igitur ut animabus veſtris faveatis, per Deum etiam atque etiam vos adjuro. In *Chriſto* Jesu Valete.

T. D.

REPLICA:

SEV,

ADVERSUS NUPERRIMAM CONFUTATIONEM ALIQVOTÆ particulæ Partis prioris Apologiæ THO. MORTONI,

(Authore C. R. Theologo)

Brevis Velitatio.

ANnis jam triginta duobus præterfluxis, à quo APOLOGIÆ CATHOLICÆ duo non exigua volumina evulgaveram; cujus Confutationem Adversarii nostri sæpè sæpiùsq; sunt polliciti (sed fruſtrà) prodit nunc tandem *Theologus*, nescio quis, qui apud nostros Academicos minatur, se *Producturum Apologistam Mortonum causam Protestanticam prodentem atq; perdentem.* Sic præfatus est

magno *Promissor hiatu*. Cui ut os occludam, *Replicæ* specimen aliquod exhibendum esse duxi; quod nunc, dum per aliquot septimanas *Londini* commoror (quamvis alioqui multis implicatus negotiis) subcisivis horis paro, & veluti furtivis. Quid verò sibi velit hæc præpropera mea festinatio, Sectiones sequentes facilè expedient.

CAP. I.

I. Confutatorem Theologum hunc Replicam omninò nullam mereri.

THeologum hunc omni responsione prorsus indignum esse, Rationes plurimæ non suadent modò, sed etiam clamitant; una, quia *Autor sine nomine est sine fide*: in quo tamen Theologus hic, quisquis est, optimè consuluit modestiæ suæ, quia hoc pacto quoties ignorantiæ, vafritiæ, maledicentiæ, & teterrimarum Calumniarum reus deprehenditur, licebit ei sub duobus his mutis elementis, C. R. veluti larvâ, pudorem suum abscondere. Quid hominis sit illud, quem istæ literæ designent, haud satis subolfacio; sunt tamen nasutiores aliqui, qui (stylus enim ingenii quasi nasus est) ex stylo conjecturam facientes, Episcopum Chalcedonensem illis denotari facilè credunt; sibique id magis persuadent, quòd familiare sit nostratibus Scriptoribus Pontificiis, in librorum suorum Frontispiciis, nominum notas invertere, ita ut transpositis his literis *C. R.* nobis *Richardus Chalcedonensis* repræsentetur, Episcopus habens Titulum sine re; quem quis verius

Utopiensem

Utopiensem nominet. Altera ratio est, quoniam edidit Confutationem hanc suam absque ullo *Permissu Superiorum*; in quo etiam existimationi Ecclesiæ Rom. consultum voluit: ut cùm constet Confutationem ipsam turpissimis scatere erroribus, cuivis Lectori Pontificio liberum & proclive sit non de librorum Censoribus, sed tantùm de Authoris ipsius imbecillitate conqueri. Nisi fortè credibilius sit Chalcedonensem Episcopum gaudere privilegio conscribendi libros absq; ulla Superioris cujusquam approbatione, quale *Toleto Cardinali* legimus à Papa fuisse indultum.

Huic, tertio in loco, accedit *Epistola* ejus *ad Academicos* Dedicatoria. *Etsi* (inquit) *opusculum istud (ornatissimi viri) festinanter, & penè ex tempore conscriptum sit*, &c. Necnon ad Lectorem jactitat, *Se per pauculos menses Confutationem suam adornâsse, ut notum est eis* (inquit) *quibus studia mea nota sunt.* Quam ejus expeditam παῤῥησίαν hâc ebuccinat tubâ, quasi consignatis tabulis, imitatus illam Leguleiorum formulam, *Noverint universi.* Bonum factum: ut nimirùm hoc Tempori vitio detur, Temporisque ipse causetur angustias, si quid sit, in quo fortè titubatum est. Atque adeò quoties necesse est, fucum hunc nobis objicere, se viz. non nisi *Ex tempore* statum quæstionis interdùm pervertere, *Ex tempore* Adversarium suum calumniari nequiter, *Ex tempore* sæpe mentiri: quia nihil facilius est (inquit Orator) quàm *errare, falli, decipi*, addo, & mentiri, præsertim *Ex tempore* si fiat. Quanquam an extemporanea hæc facultas alterum esse possit indicium, quo Chalcedonensis sorex se prodiderit, conjectet qui volet. Denique non possum de Theologi versutia satis queri, quòd omissâ omni refutatione recèns editorum Operum nostrorum, sive de Missa, in quâ Idololatria Papi-

ſtica profligatur; ſive de *Grandi Impoſtura Rom. Eccleſiæ*; quatenus ea *Catholicæ Eccleſiæ* appellationem ἀντονομαστικῶς falſiſſimè, pernicioſiſſimèque ſibi vendicat; tàm ſerò inſurgit in Apologiam noſtram, quaſi quæ è Librariorum officinis jamdudum exhauſta in tenebris deliteſceret.

II. Cauſa cur Author Confutatorem hunc Replicâ ulla dignetur.

DUo nunc me, alioqui perinvitum, ad hanc Replicam impulerunt, *Innocentia* mea, & Confutatoris mei petulans *Inſolentia*. Quippe Innocentiam meam maledicis Calumniis, veluti carbone, ſæpe denigravit. Quid ego? An hæc *dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli?* Quoad alteram, mirum quam ſeſe jactitet, quaſi *Apologiam*, nempè (quòd ipſe mihi, nec falſò, imputat) *Opus decennalis laboris*, ſuâ *Extemporali Confutatione*, quaſi uno digitulo ſubvertere queat, aut labefactare. Ad quem rurſus Ego, numquid *Ego Auditor tantum? nunquamnè reponam?* Imo efficiam, uti ſpero, (Deo propitio) ut Confutator opinione ſuâ fallatur, ſi fortè exiſtimet me, *Apologiſtam* adeò ſenectutis morbo laborare, & propè labaſcere, ut Replicandi propoſitum & Cogitationem omnem abjicere velim, cùm præſertim meam devexam & præcipitem ætatem, Deo corroborante, uſque & uſque, dum non rigent nervi, veritati Catholicæ propugnandæ devoverim.

III. Bre-

III. Breviusculam Replicam hanc, pro hac tempestate, cuivis cordato Lectori satisfacere debere.

IN Adversariorum meorum Libris confutandis hactenùs hanc mihi legem præscripsi, ut ferè semper eorum sententias integras verbatim proponerem, & deindè articulatim quasi Refutationem subjungerem, ut ex Collatione Sententiarum, veluti ex lapidum collisione, lux major emicaret. Quam Ego legem ab Adversariis meis serio sæpè exigebam, modo Responsum aliquod à me expectare vellent. Ita ut huic Confutatori tam laxo, tam dissoluto, passimque desultorio, nunc conjuncta distrahenti, nunc distincta confundenti, jure optimo meo possim respondere, mihi neutiquam incumbere ut respondeam. Sed, ut quod res est dicam, *Apologiam* ipsam, quam *Theologus* hic confutandam suscepit, ego ante Annos octo sedulò recensui, operamque navabam quæcunque errata occurrerent corrigendi, obscura illustrandi, omissa supplendi, ut Adversariis Calumniandi ansa omnis præriperetur; nimirum in Apologiæ illius editione secunda: quam Ego, Deum testor, (nec desunt qui attestari possint familiares) ante Annos octo penè ad umbilicum perductam, in lucem emittere cupiebam; sed me detinuit multò majoris momenti ANTIPOLYTOPIA, id est, Tractatus contra Missaicam Idolomaniam Ecclesiæ Romanæ; ex opinione Corporalis Christi multipræsentiæ ortam, contra Primitivæ ætatis antiquorum Patrum communia suffragia; qui *Antipolytopiam* ipsam, tanquam necessarium fidei Christianæ Articulum, adversus vetores Hæreticos

acriter defenderunt, tum ad asserendam *Deitatis* ipsius *Prærogativam*, tum etiam ad veri *Corporis Christi Integritatem* sartam tectam conservandam. Hic igitur Confutator noster, scilicet, qui tantùm fimbrias aut extremam laciniam vestimenti majusculi videtur attigisse, ægrè ferre minimè debet, si ad aliquotam duntaxat partem Confutationis suæ Replicam hanc breviusculam adaptaverim. Imò verò etiam hæc partialis Responsio me quodammodo jubet expectare, donec ipse Confutationem integram adversùs primam partem *Apologiæ* absolverit, quo nihil mihi gratius accidere possit: sic enim *Apologiæ* nostræ Editio secunda integrior multò & locupletior proditura est. Interea tamen temporis veniam ab eo peto, ut ad ea, quæ in Confutationis ejus parte priore Replicam postulare videntur, brevitèr respondeam; quæ in duo membra dispertiam, quorum primum *de Me*, alterum *de Re* instituitur.

CAP. II.

I. Calumniæ Confutatoris, in MORTONUM, Quatuor, quibus eum Diaboli Ministrum esse asserit, Diabolicæ esse probantur.

Epist. ad Academ.

CONFUTATOR. *Videbitis denique* (inquit, Academicos nostros compellans) *Apologistam vestrum nullo modo Catholicam causam labefactantem, verùm etiam eam plurimùm confirmantem, imò & causam Protestanticam planè prodentem ac perdentem; non solùm quia eam pessimè & pessimâ fide agit, sed etiam quia non negat, quando urgetur, quin potiùs apertè insinuat primarium*

primarium dogma Protestantismi, quodq; est quasi signum distinctum illius, nempè Missam, esse rem malam, esse doctrinam diaboli: & alibi apertè asserit, quòd ministerium Protestanticum tale sit, ut à transformato diabolo assumi, & fructuosè exerceri posset. Quod est manifestè Protestantium doctrinam & ministerium execrationi hominum objicere. Quis enim doctrinam diaboli, & ministerium, cujus diabolus capax est, non meritò execretur? Sed de his plura hîc non addam, quia ea fusiùs persequor in præfatione ad Lectorem, quamut attentè legatis & expendatis, per salutem vestram vos obtestor. REPLICA. Quoniam de *Salute* animarum agi profitetur, Ego vicissim etiam atque etiam eosdem Academicos oro precorque, ut Confutationem ejus juxtà & Replicam hanc nostram non ad Lesbiam regulam humani præjudicii, sed ad Lydium lapidem Conscientiæ, in Christi schola instructæ, examinare & explorare velint: nec enim dubito, quin satis intelligant, Confutatorem hunc potiùs contendendi studio, quàm confutandi spe, Me adoriri, qui in hoc loco duobus me Calumniis atrocissimis onerare non veretur, quas sigillatim proponam. *quatuor*

I. Calumnia, quoad Lutheri Colloquium cum Diabolo.

CONFUTATOR. *Dicunt Protestantes ipsi* Lutherum *agnovisse se edoctum fuisse à diabolo, quòd Missa privata imprimis sit res mala: at à diabolo doceri, admoneri, instituì, & rationibus convinci, certissimum est esse discipulum diabolì. Id ipsum indicat Mortonus, dum conatur defendere colloquium cum Diabolo, quòd Christus & aliqui Sancti loquuti sunt cum Diabolo. At Lutherus loquutus est cum Diabolo tanquàm cum Magistro doctrinæ Christianæ,* *Præfat. ad Lectorem.*

Christiana, & ab ipso didicit primarium dogma religionis Protestantium, Missam esse rem malam, neque verò hoc inficiatur Mortonus, tùm quià distinguit inter doctrinam Diaboli, & doctrinam diabolicam, tum quià affirmat Lutheri argumenta contra Missam Papisticam summam continere veritatem, tum etiam quià negat sequi, Missam esse bonam, quià Damon eam reprehendit. En præclarum Antagonistam Ecclesiæ Catholicæ, eundem pugilem ac defensorem discipuli diaboli, & doctrinæ diaboli! en cæcitatem hominis incredibilem, & penè antè inauditam! an non est hoc attendere spiritui erroris, & doctrinæ dæmoniorum? 1 Tim: 4. En manum domini vindicantis blasphemiam contra Missam! O vim Satanicæ deluſionis, ut alibi exclamat Mortonus. lib. 4. de Missa. Cap. 9. Sect. 4.

REPLICA, per Responsum multiplex.

Hæc ille, ad ravim usque clamitans atque vociferans, Mortonum *Discipuli Diaboli pugilem* vocat, *cæcum*, *Blasphemum*, & quicquid potuit ejus splendidabilis omne maledicentiæ virus in Mortonum evomit. Quid ego? comprimo iram, & ab *Archangelo Michaele*, in eo, quod cum diabolo Colloquium habuit, edoctus, respondeo, *Increpet te Dominus*. Faciam interim ut quivis veritatis studiosus satis perspiciat, Diabolum ipsum (qui à διαβολὴ i. e. *Calumnia* nomen suum sortitus est) non potuisse acriùs, atrociùs, mendaciùs, maledicentiùsvè convitiari.

I. Responsum.

I. RESPONSVM.

Doctrinam, quam Diabolus docet & prædicat, interdùm necessariò distingui à Doctrina Diabolica.

DOctrinam, quam *Lutherus* à Diabolo prædicatam audivit, vocavi Ego *Diaboli doctrinam*, nempè à diabolo prædicatam, ut simpliciter à *Diabolicâ doctrinâ* distinctam: doctrina enim diaboli, quam prædicat, verè divina esse potest, atque ità tamen duntaxat *ministerialiter doctrina* ejus dicitur: At *Diabolica* ea sola est, quam *magistraliter*, ex suopte ingenio docet, quemadmodum ego à Sancto *Iohanne* didici: *Diabolus* (inquit) *cum mendacium loquitur, ex propriis* (aut ex se) *loquitur*: nulla igitur, nisi mendax doctrina, propriè Diabolica est consendæ; alioqui Diabolus, quandò in colloquio suo cum Christo divinissimam veritatem prædicabat, dicens Christo, *Tu es filius Altissimi*, (quòd absit! Diabolicum docuisset mendacium; quibus tamen verbis Christi divinitatem quodammodo profitebatur. Quam Instantiam, ibidem in Apologiâ expressè positam, Confutator hic prudens sciensque dissimulat. Fingamus Confutatorem hunc nostrum eandem, de divinitate Christi, doctrinam divinam pro Concione prædicâsse, & ab astante quopiam interrogari, nunquid *hæc Tua doctrina fuit?* ipsumque pariter respondisse, imò ista mea fuit doctrina, quam ego planè divinam credo. Fac jam Auditorem quempiam pariter in eam debacchari; Ain? Eamne doctrinam, quæ Dei est, & à Spiritu sancto profecta, ausus tu es, *Tuam*, id est, humanam dicere? ô Pseudocatholice! en Atheisticam temeritatem! *Iob. 8. 44.*

tem! Ab hoc Confutatore equidem Responsum vehementer deposcerem, certè nisi per distinctionem *Ministerialis* & *Magistralis* doctrinæ [*Tuæ*] nunquam possit evadere. Ad Lutherum redeo.

II. RESPONSUM.

Lutherus ipse doctrinam à Diabolo prædicatam, à doctrina Diabolica, satis liquidò discernebat.

LUtherum ipsum audiamus, æquum est, prout erat à Mortono in APOLOGIA citatus (Pag. 350.) " *Quasi ego* (inquit) *tres has voculas* [*Diabolus est mendax*] " *ignoràssem, nisi vos Papistæ ex mei Theologetati monuissetis.* Et rursus, p. 353. *Diabolus est mendax,* (inquit) *cujus mendacia callidiora sunt & instructiora, quàm animus humanus assequi possit; sic adeoritur, ut semper deprehendat aliquam solidam veritatem, quæ negari non potest; adeò speciosè fucat suum mendacium, ut fallat certissimos, ut cogitatio illa, quæ Judæ cor percussit* [*Tradidi sanguinem justum*] *hoc Judas negare non potuit, sed hoc erat mendacium.* Sic Lutherus. Quam partem *Apologiæ* meæ pro *Luthero* (quod bene nota, Lector,) Confutator noster consultò silentio obruebat, quibus tamen verbis *Lutherus Papistarum* ipsorum stupiditatem redarguit, quòd nollent intelligere eum non *Magisterialiter* à Diabolo doctrinam illam didicisse; juxta legem illam Aristotelicam; *Oportet discentem credere.* At *Lutherus* fidem Diabolo detrahit, quem agnoscit esse *Magistrum mendacii*; & *Ministerialiter* tantùm ab eo audivit legis, seu verbi divini evidentiam contra Missam Papisticam, tam solidæ veritatis, ut nefas & damnabile illi fuisset obliviscari. Quod cùm jam probasse contendo, Confutatoris

nostri

nostri præfationem ad Academicos nostros bonâ cum ejus veniâ usurpabo, *Vt attentè legatis & expendatis per salutem vestram vos obtestor.*

III. RESPONSUM.

Missam privatam à sensu communi, ab ipso Canone Missæ, à Praxi Ecclesiæ Catholicæ, à Papis Romanis, juxta doctrinam Christi [Rem malam] *esse demonstratur.*

TRidentina Synodus sic decrevit; *Missas illas, quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, sacrosanctæ Synodus approbat, atque commendat. Sect. 22.* Vel potiùs Synodus 1. Ridicula; nam non minùs absonum & ridiculum est, quemquam solum communicare, quàm solum conspirare, solum colloqui, aut solum convivari dicere. & Cœna Dominica *Convivium* dicitur, ut à Patribus, & à Clemente VI. Papa, paulò infrà. 2. Synodum eam insanam fuisse, Canon ipsius Missæ cõmonstrat; nequè enim quis, nisi planè infrunitus, potest solus verè pronunciare verba hæc Canonis Missæ; [*Oremus, Offeremus, Gratias agamus:*] & per Antiphonam solus colloqui [*Dominus vobiscum, & cum spiritu tuo.*] 3. Synodus novitatis mater. Quia, testibus viris Pontificiis, (inter quos nominatissimus *Odo Cameracensis*) *Solitariæ Missæ antiquitus nullæ fuere.* 4. Synodus Antiquorum Conciliorum contemptrix; nempè *Vanetensis*, & *Papiensis*, in quibus *Sacerdos solus* vetatur *Missam celebrare, quia absurdum est ut solus dicat* [*Gratias agamus*, &, *Dominus vobiscum.*] 5. Synodus Antiquorum Decretorum Pontificalium violatrix; nam *Soter* Papa & Martyr, *Gregorius* cognomine *Magnus*, & *Innocentius* III.

expressè cavebant, *Ne Presbyter quis, contra sacros Canones, Missas celebret, nisi ei respondeatur à pluribus.* En *Synodum sacram* scilicet! quæ (Papis ipsis testibus) expressè contrà *sacros Canones, Solitariam Missam approbat.* 6. Synodus, quæ repugnat non solùm *Praxi Apostolicæ*, quæ semper in Celebratione Eucharistiæ *Synaxin* habuit, verumetiam naturæ hujus Sacramenti: Cujus Administratio propterea ab Apostolo *κοινωνία* appellatur.

Singula hæc argumenta, cum aliis pluribus, urgeri à nobis in *Lib.* 10. *de Missa*, Confutator optimè novit; sed (ut Pseudotheologum maximè decuit) ea Lectorem suum celavit, ne veritatem, quam nunc defendimus, quamque *Lutherus* in illo colloquio cum diabolo credidit, omninò agnosceret. Res igitur tandem eò redit; si huic Confutatori, ejusque similibus rabulis fidem habeamus, nempe, potiùs quàm doctrina *Lutheri* diabolica, ipsusque adeò *Lutherus discipulus diaboli* non sit, antiquorum Conciliorum Patres, ipsique etiam Romani Pontifices diaboli mancipia habeantur. Quo quid diabolicum magis Confutator hic comminisci potuit? Hæc de priori doctrina *Lutheri* contra Missam Papisticam. Secunda sequitur.

Secunda Ratio, propter quam Lutherus Missam Papisticam Rem malam *esse docuit, erat, quòd Missa debet administrari sub Utraque specie, quæ est summa veritas.*

In Apologia, pag. 352. inter alias doctrinas, quas dæmon Luthero objecisse dicitur, hæc una fuit, de Administratione Missæ sub utraque specie, de qua Synodus

odus Tridentina in hunc modum: *Sacrosancta Synodus à Spiritu Sancto edocta, & ipsius Ecclesiæ judicium & consuetudinem sequuta, declarat & docet, nullo divino jure Laicos ac Clericos non consecrantes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraq; specie sumendum; licèt Christus sub utraq; specie hoc Sacramentum instituit, & Apostolis dedit.* Sic Patres Tridentini, *Sess. 21. Cap. 1.* Apologista Mortonus dixit *Doctrinam contrariam*, quamvis Luthero à diabolo objectam, *summam continere veritatem.* Verba hæc Confutator noster arripit atque arrodit, sed probationem hujus veritatis, quæ habetur in Apolog. p. 353. prætermisit penitùs: idcircò cogor non modo ea, quæ in Apologia extant, repetere, sed etiam Causam ipsam (prout in *Libro 10. de Missa, Cap. 3.* agitatur) accuratiùs discutere.

I. *Doctrinam Lutheri, quam Confutator, pro more aliorum Pontificiorum, diabolicam vocat, verè antiquam & divinam esse, partim ex Pontificiorum Confessione, partim ex antiquorum Patrum, Paparumque consensu probabimus.*

His singulis probandis Caput integrum conscripsimus *Lib. 1. de Missa, Cap. 3.* quod hîc in Compendium redegimus. 1. Ibi de Antiquitate usus utriusque speciei Adversarii nostri concesserunt (atquè hic est cardo ipsius quæstionis) quòd in publica Synaxi, & in statu Ecclesiæ pacato, annos mille duravit utriusquè speciei usus: sed à Nobis exigitur, ut pro eo necessitatem Præcepti adferamus.

Vſum communem utriuſquè ſpeciei, ex Chriſti mandato, Eccleſiæ præſcriptum fuiſſe, ex Pontificiorum Confeſſionibus probavimus.

HUC faciunt imprimis verba Chriſti, in prima hujus ſacramenti Inſtitutione, in quibus Apoſtolus ſuis uſum utriuſquè ſpeciei (tàm quoad Conſecrationem, quàm quoad Adminiſtrationem) in mandatis dedit, dicens, [*Hoc facite.*] Qui eſt modus mandandi expreſſiſſimus, pro cujus neceſſitate ex Pontificiorum grege Teſtes nobis, & quidem egregij, extiterunt. I. Teſtis Cardinalis Alanus. [*Hoc facite.*] *Quod cum pertineat maximè ad poteſtatem ſacerdotalem circà conſecrandum & ſacrificandum, tamen Apoſtolus* 1. Cor. 11. *refert quoque ad ſumptionem, ſivè Laicorum, ſivè Sacerdotum. Quod & Cyrillus facit in Iohan. lib.* 12. *Cap.* 58. *Et Baſil. in Moral. Reg.* 21. *cap.* 3. *ut* [*Hoc facite*] *pertineat ad totam actionem Euchariſticam à Chriſto factam, & tàm à Presbyteris, quàm à plebe poſteà faciendam. Eodemque verbo imprimis poteſtas conſecrandi & offerendi, deindè etiam mandatum ſumendi, tàm Sacerdotibus, quàm alijs fidelibus datur, cùm utrumque ſuo modo, licet prius exactiùs Sacrificium, quàm ſumptio memoriam mortis dominicæ contineat.* Secundus Teſtis Coſmus Philiarcha. *Laici adulti tenentur ex Inſtitutione Chriſti communicare, jure divino: hoc Thomas probat ex Luc.* 22. [*Hoc facite in commemorationem mei:*] *quæ habent vim præcepti, non tantum de celebrando (ait Scotus) ſed etiam de adminiſtrando Sacramentum populo.* Sic Ille.

Apud lib. 1. *de Miſſa. pag.* 57 *lit. g.*

Ejuſdem veritatis liquidiſſimo Argumento nobis eſſe

esse potest ex eodem præcepto Christi [*Hoc facite*] Consecrationis atquè Administrationis par Autoritas, & proindè æqualis Necessitas utriusque. At pro necessitate Consecrationis utriusque, Valentianus Jesuita acritèr contendit, ex iisdem Christi verbis, [*Hoc facite.*] *Respondendum est* (inquit) *eam actionem esse illis ipsis imperatam, per illa verba* [*Hoc facite.*] *Hoc ipso enim, quod jussi sunt consecrare sub specie panis, consequentèr intelligi debet, eos jussos esse consecrare sub specie vini. Nam hoc exigit necessariò natura Sacrificij & Sacramenti: si enim una species absque altera conficiatur, sacrilegium committitur. Quamobrem in Concil. Trident. absolutè dicitur, Sacerdotes jussos esse offerre utramque speciem illis verbis,* [*Hoc facite in commemorationem meam.*] Sic Ille. Eandem Christi Institutionem Sanctus *Paulus* profitetur se integram tradidisse *Corinthijs*, *sicut à Domino Christo acceperat.* 1. Cor. 11. Quo in loco de Administratione utriusque speciei populo expressè agitur. De quo vester Eechius: *Nullus inficiari potest Paulum hòc præcepisse Corinthijs.* Undè Cuivis promptum erit in hunc modum Argumentari; *Paulus* dixit *Se id Corinthijs tradidisse, quod accepit à Domino*: At *Paulus* præceptum utendi utrâque specie populo *Corinthiorum* tradidit. Ergo *Paulus* præceptum utendi utrâquè specie, quoad Populum, *accepit à Domino.*

Lib. de Missa ibid. pag. 64. lit. x.

II. *Eandem veritatem Lutheri, quam Confutator Diabolicam vocat, Pontifex Romanus, Doctor verè Catholicus, tenebat, & sententiam contrariam sacrilegam esse pronunciabat.*

Elasius Pontifex (apud *Gratianum, de Consecrat. Cap. Comperimus D.* 2.) de *Manichæis hæreticis, qui abusu*

ab usu Calicis abstinebant: *Aut Sacramenta integra percipiant*, (inquit) *aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemq; mysterii, sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Ratio hujus Pontificis, pro usu utriusque speciei, in Cœtu publico Communicantium, necessitatem ejus infert absolutissimam, quæ non patitur Sacrosanctum Christi Sacramentum mutilari. Huic accedit, ex privatione Calicis, summa impietas, ratione medii majoris gratiæ, quæ ex utriusque usu dimanat; nunquid mentior? Vasquis Jesuitæ Testimonium nobis tunc aderat oppidò opportunum. *Probabilior mihi sententia visa est* (inquit) *Eorum, qui dicunt, majorem fructum gratiæ ex utrâq; specie, quam in alterutra percipi. Hanc sententiam absolutè sequutus est Clemens 6. Papa, in Bulla ad Regem Angliæ*, ubi docet, *Hoc Sacramentum institutum esse à Christo in modum convivii, in quo nihil aliud est quàm cibus & potus.* Sic ille. Quid verò impium magis, quàm populum fraudare sacro suo dimenso, adeòquè *majore gratiâ* privare, idquè contra Institutum Christi? Horum Pontificum Rationes, cum *Lutheri* rationibus pro necessitate utriusquè speciei, amicissimè conspirant; & tamen eorum memoria apud hunc Confutatorem sacrosancta habetur: at cùm Lutheri nomen angue pejus ei odio sit, proindè in ejus doctrinam, tanquàm *diabolicam*, odiosè debacchatur. ô Theologum aureum!

Lib. 1. de Missa, pag. 75.

III. Eandem Lutheri doctrinam, à Confutatore diabolicam dictam, antiqui Patres suffragiis suis communibus confirmârunt.

IN Lib. 1. de Missa Cap. 3. Sect. 9. Testimonia Patrum allegavimus, ea præsertim, undè usus utriusque

specie

ſpeciei neceſſarius colligi videretur. In præſentiarum Rationum earum momenta attingam. 1um. neceſſaria obſervatio Inſtitutionis Dominicæ; 2um. Particularis gratia ex perceptione Calicis; 3um. In Adminiſtratione utriuſque, paſſionis Chriſti in Corpore & Sanguine neceſſaria repræſentatio. 4um. Redemptionis noſtræ tàm in Animabus, quàm in Corporibus aſſimilatio. 5um. Per Corpus & Sanguinem Chriſti Symbolica nutritio. 6um. In officio beneficioque Communicandi, Miniſtri & Populi æqualis ratio. 7um. Ex uſu Calicis ad Martyrium cruentum animatio. 8um. Deniquè (quo neceſſitas præcepti diſertiſſimè exponitur) duobus Teſtibus contenti erimus. 1. *Cyprianus*, ubi de Adminiſtratione Euchariſtæ in genere agitur: *Euangelium* (inquit) *præcepit, ut bibatur.* 2. *Hieronymus. Cœna Domini omnibus debet eſſe communis, quià Chriſtus diſcipulis omnibus, qui aderant; æqualiter tradidit Sacramenta.* Sic ille. Per *Sacramenta* intelligens utraſque ſpecies, *per æqualiter tradi omnibus*: nempè, tàm Populo quàm Miniſtro. Cujus neceſſitatem duplici vallo rationis munivit: ratio prima ab Exemplo Chriſti, altera ab ejus Præcepto deſumpta eſt, quas duabus vocibus eſt complexus, *Tradidit* (Chriſtus) & *Præcepit*: ut taceam hodiernos Græcos profiteri, neceſſariò ſub utraque ſpecie communicandum eſſe, & *Peccare populum contra præceptum Chriſti, qui contrarium facit*, ut teſtatur *Prateolus* veſter.

IV. Nefanda & nefaria Confutatoris diſſimulatio.

CUm Confutator Libri Mortoni *de Miſſa* ſæpè mentionem fecerit, neutiquam ignorare potuit, Rationes has ſingulas diſtinctè, enucleatè, diſertèque prolatas; quas ille, veluti exoticas & peregrinas; tacito pede præterivit.

terivit. Haud temerè eſt, nempè nè aut *Lutherus* juxta cum antiquis Patribus divinus Theologus, aut ſancti Patres antiqui cum ipſo Luthero *Diabolici*, Atheologiquè cenſerentur.

V. Lutherum, in ſua cum Diabolo tentatione, victoriam reportâſſe.

Præf. CONFVTATOR contrà. *Mortonus in Apologia,* (pag. 353.) *ait, Lutherum de Diabolo victoriam reportâſſe. Ad tegendam abominandam victoriam Diaboli de Luthero quoad Miſſam, Mortonus ſiculneum folium apponit: ſcilicet, quòd Lutherus victoriam reportavit de Diabolo tentante eum ad deſperationem, quià non deſperavit, ut diabolus cupiebat: cæterùm hæc victoria Lutheri de diabolo, quoad deſperationem, omninò fictitia eſt.*

REPLICA.

Quiſquis legerit *Apologiam* (pag. 353.) facilè intelliget, non Mortonum fingere, ſed Confutatorem quodammodò furere, & in Mortonum odio, veluti oeſtro percitum, mendacium ei affingere: ſed Mortonum expedient
« verba Lutheri: *Non poſſum negare me peccâſſe, ſed ibi*
« *mentitur Satan, quòd ultrà urget ut* DESPEREM, *ut*
« *Cain: Confeſſus quidem ſum coram Diabolo, lege Dei con-*
« *victus, me peccâſſe ut Judam; ſed verto me ad Chriſtum*
« *cum Petro, Chriſtum invoco, in Chriſtum credo, qui omnem*
« *horrendam damnationem damnavit, qui meum peccatum*
« *delevit per ſanguinem ſuum: de hoc non dubito, in hoc Bap-*
« *tiſmum accepi, & Sacramenta ſigilla divinæ gratiæ.* Sic
« Ille. Nullane hic *Tentationum* ſpicula? nulline *deſperationis* aculei? certè non hoc negâſſet Confutator, niſi deſperatæ audaciæ. Ergo, quòd *Lutherus* ſermones

cum

cum Diabolo commiscuit, ei ignominiosum esse non debet, sed glorioſum maximè, quòd post tot conflictus, auxilio divino, diaboli strophas profligaverit, quæ quidem non sunt difficiles explicatu: nam duo erant (Teste Luthero) quæ eum, nisi divino auxilio munitum, adigere possent in desperationem, Lex Dei, & ipsius Conscientia: Lex, seu verbum Dei, docebat *malam esse Missam privatam*, quia Sacramentum hoc institutum erat ad communionem, juxta Christi praxin, & præceptum *faciendi*, (ut supra exposuimus.) Nisi igitur per pœnitentiam Lutherus ad Dei gratiam, per Christum, tanquam ad sacram Anchoram adhæsisset, desperationis gurgite absorptus periisset funditùs. Denique, in Confutatore, ejusque similibus, vah quàm subtesta fides! qui Lutheri cum Diabolo Colloquium tàm rigidè exagitant, & Patrum suorum Paparum consultò obliviscuntur, qui (si qua historiis fides) non Colloquium modò cum Diabolo habuerunt, sed etiam compactum & fœdera inierunt, atque firmârunt.

CAP. III.

Secunda Confutatoris Calumnia vehemens adversus Mortonum, circa Diabolum potiùs approbantem quàm detestantem Missam Papisticam.

IN Apologia pag. 351. negavit Mortonus ideò Missam esse bonam, quòd Dæmon illam reprehendit, rationem reddens, fateor, incongruam omninò, & à veritate alienam, quam nunc eventilare ei volupe

 videtur,

Præfat. videtur, & digitum in hoc ulcere infigere. *Quod Mortonus refert ex Delrio vel Surio, quòd ſcilicet diabolus hortatus eſt Abbatem ad dicendum Miſſam, mere ſuo falsò refert. Neuter enim refert diabolum hortatum eſſe Abbatem aut Presbyterum ad dicendum Miſſam, ſed Monachum, qui profitebatur ſe non fuiſſe Presbyterum. Miſſa autem à non Presbytero dicta, non eſt Miſſa, niſi ſpecie aut nomine tenùs, re ipsâ verò ingens ſacrilegium; ad quod nil mirum, ſi diabolus Monachum hortabatur. ——Clamet igitur Mortonus unà cum diabolo contra Miſſam quantum volet,* &c.

I. Replica, *detegens Confutatoris multò quàm malitioſam diſſimulationem.*

QUis non ex hac Criminatione Mortonum in citando *Delrii* Teſtimonio, quaſi deditâ operâ turpiſſimè errâſſe clamitet? Sed cohibe Lector (quæſo) aſſentionem tuam tantiſper dum Confutatoris aliorumquè Pontificiorum in hac ſua accuſatione fraudem nefandam detegam, ad quam quilibet vir probus & ingenuæ indolis protinùs obſtupeſcat: non quod (1ª. parte Apologiæ) in citando *Delrii* Teſtimonium non erraverim, ſed quòd in ſecunda parte ejuſdem Apologiæ ad finem Libri, ne Lectores ſimiliter impingerent, meapte ſponte meum confitebar ſphalma, in quo tamen candidi & fidelis Scriptoris ſpecimen aliis præbere volui. Id quod Adverſarios meos latere minimè potuit, qui *ſi non arâſſent in vitula mea, non inveniſſent*: nec tamen erubuerunt illam ingenuam Confeſſionem ſilentio premere, errorem probro mihi objicere. Addo præterea, me agnito errore damnum illud novo Teſtimonio reſarciviſſe; exempli cauſâ.

II. Diabo-

II. *Diabolum Missæ Papisticæ favisse plurimùm, Exemplo probatur.*

POstquàm errorem meum in citando testimonio uno Delrii agnoscerem, non potui animo meo satisfacere priusquàm ex eodem Autore novo aliquo eoquè verissimo Testimonio ruinam illam expleviſſem. Verba mea repetam. *Delrius Iesuita Disq. Magic. Lib. 2. Cap. ult. Exemplum* (inquit) *cujusdam Paredri dignum memoriâ, in quo tamen illud mirandum est, Dæmonem pro mercede quinq; solidos exegisse, & jussisse ex illis pauperi cuidam Ecclesiæ campanam emi, quâ diebus dominicis fideles ad divinum officium convocarentur.* Sic ille. Hinc ego, Adversarios nostros compellans, eos adesse hortabar, & experiri an vim Argumenti nostri enervare possent, viz. Dæmon (inquam) Luthero *Missam* Papisticam, tanquam *Rem malam* & *execrandam* objecit: Idem infernalis Coluber ad eandam Missam, seu (opinione *Delrii* Jesuitæ) ad *divinum officium celebrandum*, homines allicit atque invitat. Si igitur vestra Missa sancta censenda est, quòd Satan illam reprehendisse dicitur, pariter abhominabilis æstimanda est, quià approbâsse illam videbatur. Confutator si fuisset in Christi schola institutus, didicisset hanc fuisse stropham seu κυβελαν diaboli, ut semper aut falsum aut ad falsum loquatur, id est, verùm prætendit, sed cum intentione fallendi.

Animadvers. ad finem part. 2. Apol. Cath.

CAP. IV.

Tertia Confutatoris Calumnia in Mortonum, circa doctrinam de Missâ Papisticâ, quòd vocavit illam delusionem Satanicam.

DIxit Mortonus, doctrinam Papisticam esse Satanicam delusionem; cujus memoriam mihi refricat Confutator, jam suprà, (in Præfatione) ubi propterea, quasi de cœlo delapsus, non horruit dicere: *En Manum Domini vindicantis blasphemiam contra Missam:* nempe, quià dixeram de eâ, *ô Satanicam delusionem!* Lib. 4. contra Missam. Cap. 9. Sect. 4.

Replica.

COnfutatoris tam execrabilis invectio hoc à me extorsit, ut indè αείφανν nactus sim, in medium protrahendi doctrinam illam Papisticam, quam anteà *Satanicam delusionem* vocavi; ut cuivis constet, quàm nequiter Confutator censuram hanc meam *blasphemiam* appellaverit. Doctrina, quam Pontificii in Ecclesia Romana *Communem* esse dicunt, hæc erat; *Corpus Christi, ut in Sacramento Ecclesiæ, non posse absq; miraculo per se movere, omni sentiendi virtute naturali destitutum esse, nec posse internis phantasmatibus uti.* Hęc, hęc est (jactantibus Adversariis) de Corporali Christi præsentia in Eucharistiâ, *Communis Pontificiorum opinio*, quam simulac legissem, non potui præ horrore non exclamare, *ô Satanicam delusionem!* Et propterea à Confutatore *Blasphe-*

Vide lib. 4. de Miss. Cap. 9.

mus

mus audio, etiamsi eam planè *Satanicam delusionem* esse, Argumentis necessariis eviceram: quorum summa Capita fuêre: 1. Christi hominis dignitas; 2. Opinionis istius Novitas, atque Impietas.

Hæc nunc, Confutatoris nostri calumniosa importunitas, suadet, imperat, cogit me hoc in loco (quamvis non verbis eisdem) repetere, viz. Aut divina illuminatio est, aut Satanica delusio: Illuminatio verò? Unde? An ab Ecclesiæ Catholicæ Luminibus, antiquis Patribus derivata? Imò verò nullius Patris autoritatem proferunt, sed nè fingunt quidem. An ex divinis Eloquiis? Hæc non dignantur attingere. An deniquè ex irradiatione aliquâ rationis? tantundem, nisi fortè rationem eam dicamus, quâ quis poterit suaviter insanire: dicunt enim ista singula Christo in hoc Sacramento contingere, Quia Corpus ejus in Sacramento non admittit extentionem partium ad spatium Loci. Hoc est reverà fingere existentiam Corporis citra ullam habitudinem ad Locum, id est, (si *Augustino* credimus) imaginari illud Corpus esse, quod simpliciter non est: *Tolle enim* (inquit) *spatia corporibus, & nusquàm erunt, & quia nusquàm erunt, nec erunt.* Cæca est igitur hæc *Communis opinio*, est & insuper insigniter falsa, impia, & Idololatrica. Falsitatem ejus Scriptura evincit, quæ de Corporum resurrectione loquens, *Seminatur* (inquit) *Corpus in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in potentia.* 1 Cor. 15. 43. Deinde ubi constituit resurrectionem Corporis Christi à mortuis, tanquàm Antitypum corporum omnium beatorum, *Transformanda ea esse*, dicit, *ut conformia fiant glorioso Christi corpori. Phil. 3.*

Nec aliter de Corpore Christi unquam somniavit Antiquitas: pro Ecclesia Græca *Athanasius* sufficere debet;

debet; *Hic ſolus* (inquit) *à mortuis integer reſurrexit, & cum omni integritate reſurrexit.* Et rurſùs, pro Latina, *Leo* Papa. *In Chriſti corpore poſt reſurrectionem nihil eſt infirmum.* Hæc veritas immane quantum diſtat à Pontificiorum *Opinione communi*; proinde de eodem Corpore, carente uſu omni Phantaſmatum, quid irrationabilius? de corpore omninò in ſe immobile, quid impotentius? de corpore omni facultate ſentiendi deſtituto; quid cæcius, ſurdius, aut ſtupidius? adeòq; *Opinione* hac *communi* quid ſtolidius, falſius, execrabilius fingi poteſt? Porrò, eandem *communem opinionem* Ego audaculus *Idololatricam* eſſe dixi; quòd ex eo probavi quoquè, quià Chriſtum fictitium divino cultu adorare, talemquè etiam Chriſtum, quem cultores ipſi profitentur ità *oculos habere, ut non videat, aures nec audiat, os nec loquatur, & cor nec intelligat:* quid (inquam) eſt, ſi hoc non eſt, Idolum pro Chriſto colere? Hîc igitur ornatiſſimos *Academicos*, Confutatoris mei verbis compellans, *per ſalutem* eorum obteſtor; ut hæc apud ſe penſitent, veriùſne, Ego *Opinionem* Papiſtarum vocaverim *deluſionem Satanicam*, an Confutator hanc meam Categoriam *Blaſphemiam* nuncupaverit. Ut nihil dicam de ejus dolo malo, qui, ut dictum illud meum arroderet, Blaſphemiæq; ſuſpicionem credulo Lectori incuteret; Rationes omnes, quibus dictum firmavi, tacuit prorſùs, nè hoc ejus in me maledictum Lectori innoteſceret.

CAP.

CAP. V.

Quarta Confutatoris in Mortonum malitiosa Calumnia.

CONFUTATOR. *Nescio etiam quam gratiam inituru sit* (Mortonus) *apud Ministros, qui docet quòd transformatus diabolus potest agere Ministrum, & fructuosè ministrare verbum & Sacramenta ipsorum. Quale enim Ministerium illud censendum est, quod diabolus potest assumere? Certè non Christi, quià nunquam dixit diabolis,* Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Hoc facite in meam commemorationem. *An quæso possunt diaboli sibi assumere hanc tantam potestatem sine collatione Christi, aut fructuosè ministrare ejus verbum & Sacramenta sine ullâ potestate ab ipso collata? Certè hac detexisse, refutâsse est.* Præfat.

REPLICA.

I. Occasio hujus odiosæ Calumniæ.

IN Libro de Missa (Lib. 7. Cap. 5.) ego Papisticæ Missæ ex Pontificiorum ipsorum principiis *Idololatriam materialem* copiosè & liquidò probavi. Summa fuit, quià, sublatâ debitâ Consecratione, substantia panis remanet, ità ut panis loco Christi, *i.e.* creatura vice Creatoris adoretur: quam *Idololatriam materialem* esse,

Papiſtæ ultrò fatentur. At pluſquàm ſexcentis modis contingere poſſe, ut Conſecratio ipſa fruſtrà ſit prorſus, & ut panis maneat, propter multifaria genera defectuum in Conſecrando; de quorum Generum unico duntaxat (qui eſt defectus in Ordinatione Sacerdotis) Ieſuita Suarez. *Multa ſunt cauſa* (inquit) *propter quas poteſt accidere, ut Chriſtus non ſit præſens: ut ſi Sacerdos non ſit baptizatus, vel non ſit ritè ordinatus, quod pendet ex multis aliis cauſis, quibus ferè in infinitum progredi poſſumus; ut ex parte materiæ ſæpè accidit defectus.* Sic ille.

II. *Calumniæ ipſius detectio, atquè dilutio.*

QUæſtio inſtituta erat de caſu extraordinario, ubi nulla oboritur in Eccleſia ſuſpicio de illegitima Miniſtri ordinatione, vel etiam non ordinatione, utrùm poſſibile ſit ut in functione Miniſtri, non legitimè ordinati, gratia ulla Populo conferri queat. Exempli cauſâ, putemus Dæmonem, qui transferre ſe dicitur *in Angelum Lucis*, formam induere Romani Sacerdotis, Populo doctrinam aliquam ſalutarem, & Evangelicæ veritati conſonam prædicare: Quæritur (inquam) utrum hujuſmodi doctrinâ ædificari populus ad ſalutem poſſit? Confutator nègat, *Quale illud verbum eſt* (inquit) *quod Diabolus poteſt fructuoſè miniſtrare?* Ego verò illud aio & uſque atque uſque affirmo eſſe purum putum verbum Dei, ab Apoſtolo edoctus, qui *prædicationem Evangelij* vocat, *potentiam Dei ad ſalutem*: quam veritatem averſatus Confutator, divino Dei verbo detrahit, ut Miniſtri, id eſt, ſui ipſius auctoritatem ſtabiliat. Quod, quid aliud eſt quam ſe Chriſto opponere ſimul & anteponere? De quo ſolo dicitur; *Qui habet clavem Davidis,*

dit, aperiens, & Nemo claudit, & claudens ac Nemo aperit. Namque Deus (quæ est omnipotens Ejus bonitas) mediis ordinariis minimè astringitur, ut universi Theologi cõfitentur. Cæterùm tantum absit ut dixerim, *Diabolum posse ministerium hujusmodi sibi assumere* (quod Confutatoris διαβολὴ improbè fingit) ut consultò disertèque de illegitimo Ministro agerem, & Autoritate omni Ecclesiastica destituto.

III. *Confutatorem, in quatuor prioribus Calumniis suis, quoddam Diaboli Characteristicon nimis expressisse.*

DIabolus, ut Christum suadeat projicere se deorsum, citat ex oraculo divino illud Psal. 91. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te*; sed uerba sequentia [*in viis tuis*] devorat hic draco, & silentio involvit: quibus tamen cuivis cautum est, nè præscriptas sibi à Deo vias transgrediatur. Vnde nonnulli Patres nos monent, ut observemus insignem in Diabolo artem dissimulandi. Quorsum ista quis quærit? nempè ut Confutator in hoc speculo vultum suum contempletur, qui sexies jam eodem artificio adversùs me usus est, quasi qui politicum illud imbibisset; *Dolus an virtus, quis in hoste requirit?* Dixi Propositionem Diaboli contra Missam Papistarum, *summam continere veritatem*. Exclamat esse me *Diaboli pugilem*. At Ego id quod dixi necessariis quoque Argumentis ex Scripturarum Autoritate, ex Patrum Antiquorum consensu, ex Pontificiorum confessionibus comprobo, & Confutator totus mutus est, &, nescio quâ Metamorphôsi, convertitur in Piscem. Est

ubi erro? en *hominem falsarium*! (inquit.) An verò erratum illud agnosco, corrigoque, atque etiam novo exemplo causam confirmo? de his ne νεῦ quidem. Quid multa? Quemadmodum uxor Putipharis togam Josephi arripiens, illam, quæ erat in se reverà testimonium castitatis, convertebat lascivâ fraude in indicium adulterii: eodem planè modo mecum actum est ab isthoc Veteratore, quià dicta ea, quæ debuerant esse mihi veritatis & synceritatis meæ Argumenta, Is malè depravando distorquendoque traduxit in notam nunc falsitatis, nunc insciticæ, nnnc etiam Blasphemiæ. Hactenùs de Me, nunc tandem de Re.

CAP. VI.

De Ecclesia, ut dicitur Invisibilis, & quatenus.

Status Quæstionis.

Apolog. Cathol. Cap. 1. Quæstio erat à me instituta, *Utrum Ecclesia ea, quam nos in Symbolo Vnam, verè Sanctam, & Catholicam credimus, omninò sit Invisibilis, & à visibili omni Ecclesia necessariò distincta; Protestantes aiunt, Pontificii negant:* hanc vocavi Ecclesiam Prædestinatorum, seu salvandorum. Et præterea ibidem dixi, Ecclesiam, *quatenùs* est verè Una, Sancta, & Catholica, non oculis cerni, sed fide credi tantùm: quam docui

docui esse *Ecclesiam Prædestinatorum*, & eatenùs esse omninò *invisibilem*; non quòd negaverim eam Ecclesiam Prædestinatorum esse accidentaliter *visibilem*, tùm quoad externam doctrinæ professionem, tùm quoad personas profitentes; sed tantum *invisibilem* esse omninò, *quatenùs* Ecclesia Prædestinatorum. Nec potest Confutator ullo suo Argumento me ab hac sententiâ, vel latum unguem divellere, sed nè pilum quidem.

Quæstio à Confutatore proposita.

CONFUTATOR. pag. 13. *Catholici dicunt, quòd Ecclesia Prædestinatorum (quæ est Ecclesia invisibilis secundùm quid) est tantùm partialis Ecclesia, seu (quod idem est) pars Ecclesiæ totalis, quæ secundùm substantiam suam est visibilis, & constat ex Prædestinatorum Ecclesia, tanquàm unâ suâ parte integrante, & ex Ecclesia Reproborum, tanquam parte alterâ integrante in hoc mundo.* Sic ille. Ego contrà, *Ecclesia Prædestinatorum, quæ nominatur in Symbolo, est sola vera, & essentialis Ecclesiæ coram Deo: & quatenùs est Prædestinatorum, omninò invisibilis.* Cùm jam metam cernimus, experiamur uter nostrûm eam poterit configere: agedùm, missis parergis, hoc agamus; ità tamen ut semper meminerimus quòd sæpè repetiti illud *Quatenùs.*

Locus I. Rom. 8.30.

Eccleſiam, quatenùs Prædeſtinatorum, eſſe ſolam eſſentialem Eccleſiam, *&* omninò Inviſibilem, *Scripturæ probant.*

Apologia, pag. 2. *Quos vocavit, eos & juſtificavit: quos juſtificavit, illos & glorificavit,* Rom. 8.30. ubi eſt vox [καλέω] *voco*, nempè, quià Deus è mundi hujuſce tenebris, ad lucem Euangelii evocat. Non hîc Argumentum ducebam ab Etymologia nominis Eccleſiæ, (ut Confutator vult) ſed ab ætiologia ejus nominis: & tunc concludens ex interpretatione *Auguſtini*, qui (Teſte *Eſpenſeo Com. in 2. Tim. 2.*) ſic interpretatur hunc locum. *Nempè diabolus ligatus ſeducere Eccleſiam non poteſt, an ſolatus poteſt? Abſit, nunquàm enim ſeducetur ab illo Eccleſia Prædeſtinatorum, de qua Paulus, firmum ſtat Dei fundamentum habens hoc ſignaculum [Deus novit qui ſunt ejus.]* Sic ille. Quid planius? Nihil enim magis eſt inviſibile, quàm quod, tanquàm *Sigillum Dei*, Deo ſoli notum eſt. Eaque ſola eſt Eccleſia eſſentialiter, quæ ſeduci non poteſt.

Locus II. Ephes. 5.

Eccleſia deſcribitur ut Sponſa *Chriſti, & qui ejus ſunt,* vocantur Membra *Chriſti, ut* Capitis.

Confutator *pag.* 19. *&* 20. Chriſtus dilexit Eccleſiam, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhibeat eam ſibi glorioſam, non habentem maculam aut

aut rugam—— (*ut Aquinas ait*) Hìc per gratiam, in futuro per gloriam. *Subdit Mortonus*; Nosnè (*inquit*) homines sceleratissimos cum verè fidelibus, seu nativis Christi membris,& sacratissimâ sponsâ,tanquàm cum homine belluam copulemus? *Fateor hic haberi nomen Ecclesiæ—— quam Christus mundat, ut eam inviolatam & gloriosam exhibeat, sed est ea simpliciter visibilis, secundùm substantiam suam—— sicut in uno ovili oves & hœdi.* REPLICA. Et Ego etiam atque etiam nego eam *Sponsam Christi*, quatenùs *hìc per gratiam est immaculata sponsa*, esse eandem cum *cœtu improborum*; aut etiam *visibilem* esse secundùm Essentiam: quibus enim oculis *immaculatas* hominum conscientias homo quispiam cernat? aut in *ovili Christi* eodem (ante separationem in novissimis) *oves ab hœdis discernat?*

CONFUTATOR. *p.* 23. *At Perkinsus*: Neque mirum hoc videri debet (*inquit*) quòd dico, Membrum Christi posse esse aliquo modo membrum meretricis. *Etenim ipsa Ecclesia, quæ est Corpus Christi, habet multa membra putrida.* REPLICA. Dixit *Perkinsus* noster, *aliquo modo*; & ex eo satis innuit, non ità esse *essentialiter*: potest enim impiissimus Christianorum dici *Membrum Christi*, juris obligatione, non autem actuali & vivificâ unione. Imò etiam Confutator (ut avis quæ malum sibi cacat) suâ confessione seipsum apertissimè confutat; fatetur enim impios non esse nisi *Membra putrida*: At membra putrida, mi homo, sunt æquivocè membra, ut pictus homo dicitur homo. (De quo infrà pluribus.)

Locus

Locus III. MATTH. 16. *Ver.* 18, 19.

Super hanc petram—— Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. APOL. *pag.* 3.

CONFUTATOR. Pag. 25. *Nos videmus Ecclesiam ipsissimam, quæ est Prædestinatorum, sed non discernimus eam ab Ecclesia Reproborum, quià non videmus prædestinationem, sed tantùm ejus substantiam.* REPLICA. Ain? Non *videre* te *Prædestinationem*, sed tamèn videre ejus *substantiam?* quid hoc portenti est? equidem non sum *Oedipus*. Sed ad rem. Cùm concedis *Ecclesiam Prædestinatorum* ab Ecclesia malignantium non posse discerni, Ecclesiam Prædestinatorum, quatenùs talem, omnino *Invisibilem* fateare necesse est. Produxi, inter alia, Testimonium *Feri* vestri, in eundem Matthæi locum: APOL. p. 3. *Non loquitur* (Christus) *de Ecclesia, sicut communiter accipitur* (inquit) *pro his qui Christiani dicuntur, sivè boni, sivè mali: sed de Ecclesia secundùm Spiritum, quæ solos Electos complectitur, quasi omnes Christiani salvi futuri sint.* Habet Confutator, prout optat, integram sententiam *Feri*, quę Confutatoris sententiæ ex diametro repugnat, quâ negat *Ecclesiam Prædestinatorum* differre ab *Ecclesia Reproborum* quoad substantiam, quià sc. utrique existunt in eadem Ecclesia; veluti *oves & hædi*. Pag. 22. *Ferus* Ecclesiam consistentem ex *solis Electis*, Tu verò, imò etiam *ex ipsis Reprobis*, quoad substantiam. Nonnè te pudet sententiam *Feri* deposcere, quæ, quò expressior, eò te arctiùs constrictum tenet?

Locus

Locus IV. Ioh. 10. 27.
Oves meæ vocem meam audiunt: cognoſco eas, & ſequuntur me.

QUamvis hîc nulla fiat expreſſa mentio Eccleſiæ, non poteſt tamen non intelligi de *Eccleſia ſalvandorum*. Hûc ſpectabat teſtimonium *Toleti* Cardinalis, « quod poſui APOLOG. pag. 4. *Eſt* (inquit) *animadvertendum, quamvis generaliter ſint oves Chriſti, qui in* « *Chriſtum credunt, tamen particulariter hîc Chriſtus loquitur de Prædeſtinatis atq; Electis, qui oves in æternùm ſunt* « *futuræ.* Sic ille in *Ioh.* 10. Quid ad hoc CONFUTATOR? pag. 30. *Toletus expreſsè dicit* (inquit) *quòd principaliter hîc agitur de Electis, quo indicat agi etiam de Reprobis.* REPL. Sic ille, verba ſenſumq; *Toleti* inſigniter depravans. Verba; nec enim dixit *Toletus, Principaliter hîc agi de Electis*, ſed *Particulariter*. Ob hanc vocem [*Principaliter*] noſter Confutator eſt inter *Falſarios Principales*. Senſum; nam vox [*Principaliter*] *Reprobos* includit. Vox autem [*Particulariter*] *Reprobos* prorſus excludit. Atque hunc eſſe ſenſum genuinum, ex verbis Chriſti, cujuſvis ſenſus communis teſtabitur; *Oves meæ vocem meam audiunt*, id eſt, obaudiunt, ſeu obediunt; ſequitur enim, *Cognoſco eas*, &c. Pro hoc ſenſu Apologiſta ſubjunxit conſenſum Bellarmini, qui conceſſit, *Agi hîc de Electis, qui ad finem uſq; perſeverant.* Sic ille. An verò *Reprobi* dici poſſint *Chriſti voci* obſequi? An etiam *ad finem uſq; perſeverare?* quem non miſereat Confutatoris tam falſarii, tamq; diſſoluti?

Locus V. Apoc. 12. 6.

Fugit mulier in desertum. Et 13. Adoraverunt (bestiam) omnes, quorum nomina non sunt inscripta in Libro vitæ.

" Apol. pag. 4. Mortonus ex Ribera Iesu: *Quibus verbis ostenditur* (inquit) *Ecclesiam tempore Antichristi constare ex Prædestinatis.* Confvtator. p. 33. *Hoc ad præsentem quæstionem nihil facit.* Replica. Quæstio, est an Ecclesia ità considerari possit, quatenùs constat tantùm ex Electis; quamvis Ribera non exprimit illud, *Tantùm*, tamèn id ab eo intelligi, verba ipsa demonstrant, quià ab iis tantùm consistere eam docet, *Quorum nomina inscripta sunt in Libro vitæ.* Nisi igitur Confutator authoritatem sibi vendicet dignoscendi *omnium* Reproborum *inscripta in Libro vitæ*, nulla Ratio est, cur non statuatur *Prædestinatos tantùm intelligi.*

CAP. VII.

Causa Protestantium confirmatur Exemplis.

I. Quoad statum Catechumenorum

Apolog. pag. 5.

Verba Bellarmini nunc repetam, ut sunt à Confutatore ipso relata, Confvt. pag. 36. *Respondeo*, (inquit) *quod dicitur, extra Ecclesiam neminem salvari, intelligi debere de iis, qui neque reipsa, neque*

neque desiderio sunt de Ecclesia, sicut de Baptismo communiter loquuntur Theologi. Quoniam autem Catechumeni, si non re, saltem voto sunt in Ecclesia, ideò salvari possunt. Neque repugnat similitudo arca Noæ, extrà quam nemò salvabatur, etiam si voto in ea fuisset: nam similitudines non omnibus conveniunt. Repl: Agedùm, loquens *de Ecclesia visibili*, statuit *Catechumenos non re, sed voto salvari*, qui tamen non sunt actu in *Ecclesiâ visibili*. (de Arca Noæ alius erit differendi locus infra.) Disputo. Quicunque salvandus est, priùs actu est in Ecclesia, quatenùs vel *visibilis* est, vel *Invisibilis*: at *Catechumenos* negatis *actu* esse in Ecclesia, quatenùs *visibilis*. Ergò Ecclesiam, quatenùs *Invisibilem*, in qua actu existant, concedere par est. Responsum enim, quod fingitis, *Essendi in Ecclesiâ voto, & desiderio*, heteroclíton est, & extrà carceres vagatur. Dein (nè quis nesciat) Confutator concedit Catechumenos posse salvari, quod etiam in eadem Apologia probatur, ex *Ambrosij Eulogio*, in Panegyrica oratione pro Imperatore *Valentiniano*. De exemplo *Infidelium*, superfluum erit quicquam dicere.

II. Exemplum est de statu Excommunicatorum.

Apolog: p. 5. De his Bellarminus. *Excommunicati* (inquit) *licet pœnitentes fuerint, tamèn antequàm absolventur, sunt extrà Ecclesiam.* Quam Ecclesiam vis? an etiam visibilem? omninò, nùm igitur eos extra Catholicam eam ponis, extra quam *nulla* speranda est *salus*? Advocatus Bellarminus. *Non sunt Excommunicati isti in Ecclesia, quoad externam Communionem: sed sunt in Ecclesia animo, & desiderio, quod iis sufficit ad salutem.* Ad hæc Confutator pag. 41. *Quasi Bellarminus diceret* (Catechumenos) *per desiderium*

actu eſſe in ulla Eccleſia. REPLICA. Quaſi verò Mortonus id Bellarmino vigilans ſomnianſvè tribuerit. CONFUTATOR ibid. *Aut quaſi cùm negat* (Bellarminus) *excommunicatum actu eſſe membrum Eccleſiæ viſibilis, neceſſe habet ſupponere, quòd detur membrum Eccleſiæ inviſibilis.* REPLICA. Imò *neceſſe* eſt vel maximè, modo de facto ſit ſalvandus: ſalvandum autem ponit Bellarminus ex prævia diſpoſitione & habitudine, nempè voto Baptiſmi. Quemadmodum cùm quid cernis, tamen neganti te videre ſiniſtro oculo, neceſſe eſt te oculo dextro videre, modò omninò videas. Deinde, qui ponunt Catechumenos tantùm animo & deſiderio in Eccleſiâ eſſe, neceſſe eſt ut ſupponant aliam inviſibilem, quià *Animos & deſideria* hominum novit ſolus καρδιογνώστης. De exemplo 3°. *Schiſmaticorum*, quoad ſimplex ſchiſma, idem eſt judicium.

CAP. VIII.

Ratio ſecunda Mortoni, pro ſtatu Inviſibilis Eccleſiæ.

EXtat hæc APOLOG. p. 6. (referente Bellar.) *Quià licet Impii externam fidei profeſſionem habeant, non ſunt tamen verè, ſed æquivocè membra Eccleſiæ.* Quod Proteſtantium dogma ibi poſui, tùm contra Bellarminum, qui dixit, *Impios eſſe vera, quamvis non viva membra Eccleſiæ*: tùm etiam adverſùs Coſterum Jeſ. quem non puduit tribuere Chriſto *membra damnanda.* CONFUTATOR in reſponſione miſerè ſeſe torquet, & in omnes facies ſe convertit (pag. 45.) *Alia*

eſt

est quæstio de modo, quo sunt (Impii) in Ecclesia Catholicâ: an sint in ea eo modo, quo sunt membra in corpore, an quo modo sunt mali humores: & hæc quæstio non est de fide. REPLICA. Absurdum. Comparatio, quæ dicit ità se habere Malos in mystico Corpore Christi, quæ est Ecclesia, ut, vel quomodò se habent *humores* in humano corpore, ut non complectatur *modum* se *habendi?* Quid igitur est, si hoc non est tergiversari?

2°. CONFUTATOR p. 46. *Fieri potest ut qui negant, quòd Mali sunt vera membra Ecclesiæ Catholicæ, solùm negare velint esse eos membra perfecta, seu integra membra Ecclesiæ: quod est dissentire in modo loquendi.* REPLICA. Turpissimè (utinam non reluctante Conscientiâ) detorques vestrorum sententiam: quià Authores Pontificii à me citati, (Apolog. p. 6.) expressè vocârunt *malos Æquivoca membra Ecclesiæ:* & asseverârunt eos ad Ecclesiam pertinere, sed haud aliter quàm ad *Corpus* pertinent *ungues, pili, humores,* quæ (inquiunt) *non sunt membra.* Proindè Confutator noster, cùm dixit Authores eos *fortasse intellexisse vera membra*; quasi persuadere Lectoribus suis vellet, ea quæ dicuntur *non membra,* esse tamèn *integra membra Ecclesiæ.* Utinam non posset delirare. Inter Authores, qui Malos non nisi *membra Æquivoca* esse docuerunt, *Bellarminus* recensuit *Aquinatem, Card. Turrecrematam, Alex. Hales, Petrum de Soto, Melchiorem Canum*; præter (quos prætermisisse se dicit) *Alios.*

Confutatorem ſuâ diſertâ Confeſſione Cauſam ſuam prorſus prodere & perdere.

CONFUTATOR igitur 3°. reſpondet (pag. 46.) *At mali malâ vitâ ſuâ noxii ſunt Eccleſiæ, neq; animantur animâ Corporis Eccleſiæ, quæ eſt Spiritus Sanctus; habent etiam ſufficientem ſimilitudinem cum membris propriè dictis, ob quam metaphoricè dici poſſunt membra,* REPLICA. Sic ille, hoc in loco Confutator, qui jam ſuprà quaſi Moderator hunc Controverſiæ ſtatum propoſuit; *Eccleſia* (inquit) *quæ ſecundùm ſubſtantiam ſuam eſt viſibilis, & conſtat ex prædeſtinatorum Eccleſia, tanquàm ex unâ parte integrante, & ex Eccleſia Reproborum, tanquàm ex altera parte integrante.* Sic ille, cujus nunc conatus, quantus quantus, per quinque Capita hîc fuit, ut & probaret *Viſibilem & Inviſibilem eſſe integrantes partes unius totalis Eccleſiæ*; & ut Mortonum confutaret, quòd contenderit *Malos eſſe non vera, ſed duntaxàt* æquivoca *membra Eccleſiæ.* Ei tamen veritas veram hanc vocem extorſit, ut concedat, *Malos non eſſe propriè, ſed Metaphoricè Eccleſiæ membra.* Cogor igitur jam rurſus Academicorum attentionem efflagitare, & obteſtari, ut velint apud ſe expendere, an hîc illis videatur alterius Confutator idoneus, qui ſe Lectoribus jam exhibuit in hac cauſa inſignem Prævaricatorem, quià omne *Metaphoricum eſt Æquivocum:* Canis cœleſtis non eſt canis latrabilis: Tyranni Metaphoricè Lupi dicti, non ululant. Porrò APOLOG. p. 7. Mortonus « Coſteri Jeſuitæ verba urgebat, nimirùm, *Malos eſſe* (in « Eccleſia) *ut ſunt phlegma, pituita, ſanies, & ſanguis « abundans, quæ viventis hominis neq; membra ſunt, neq; partes:*

partes: atq; Bellarmino opposuit, qui ea *vera* esse membra pronunciabat. Ratio. *Si enim Papa malus* (inquit) *non est verum membrum Ecclesiæ, tùm non potest esse verum Ecclesiæ Caput. Est* hæc certè Bellarmini Propositio, cui si addatur Assumptio ex Costero, quòd *Mali non sunt magis propriè membra Ecclesiæ, quàm pus, aut sanies, aut putridi humoret corporis partes propriè dici possunt*: Conclusiò cuivis in promptu est. Ergò *Papa malus non est membrum, nedum Ecclesiæ Caput.* Quo posito, audin', mi Confutator, væ *Capiti* tuo.

III. *Exemplum de occultis Hæreticis.*

DE his Apol. p. 9. Anglo-Rhemensium sententiam adduximus; *Hæretici, qui in externa communione Sacramentorum, & professione persistunt, in conspectu Dei ab Ecclesiâ separantur, & reipsâ & propriè domus Dei finibus exterminantur.* Certè quisquis separatur ab Ecclesiâ, tantùm abest ut *Membrum*, ut vix Ecclesiæ umbra esse possit. In quo, Bellarmino ex diametro repugnant. Ad hoc Confutator p. 65. *Fortè hoscè habes pro fusteribus.* Replica. *Fortè* (inquit) de re luce meridianâ clariore; nam Anglo-Rhemenses clarissimè nobis adstipulabantur.

CAP.

Invisibilis Ecclesia, ex similitudine Arcæ Noæ, *illustratur.*

APOLOG. p. 9. (Similitudines *Membri, Sponsæ, Gregis*, supra tetigisse sat erit.) Bellarminus docuit *Arcam Noa figuram fuisse Ecclesiæ, ex* 1. *Pet.* 3. sed ità, *ut sicut extra Arcam nemo salvari potuit, ità nec extra Ecclesiam.* Et objectantibus Protestantibus, quòd sicut *extra Arcam* nemo ex mero *voto* aut *desiderio* salvabatur; ità nec hæc pro iis, qui non actu sunt in Ecclesia, valere possunt. (De Catechumenis suprà diximus.) Respondet Bellarm. *Similitudo non tenet in omnibus —— sed in hoc, quòd quemadmodùm in Arca erant Animalia munda & immunda: sic in Ecclesia sunt boni & mali.* Sic Cardinalis. Ad quod Mortonus. *Responsum* (inquit) *dilutum atq; insulsum, nam Petrus de hominibus piis dunt ex.at, & non de brutis animalibus similitudinem instituit.* CONFUTATOR. p. 70. *Respondeo, ex his verbis sumi posse speciem aliquam probandi, quòd Ecclesia consistet ex solis piis & Prædestinatis, seu salvandis, quæ* (inquit) *est alia quæstio.* REPLICA. Quâ unâ confessione Causa ejus tota labefactatur: nam Ecclesiam, quæ constat ex solis prædestinatis, qui quatenùs prædestinati, sunt omnino invisibiles, eam eatenus invisibilem esse necesse est: quod est Quæstionis jugulum petere. Idcirco CONFUTATOR aliò refugit pag. 71. *Sicut in Arca erant prædestinati & reprobus Cham: ità in una Ecclesia sunt prædestinati & reprobi.* REPLICA. Quod est crassum & tenebrosum κρησφύγετον, nam *Arca* non fuit figura externæ Ecclesiæ, in quâ sunt tàm Electi, quàm Reprobi: sed *Electorum* seu *salvandorum* duntaxat; *Petro*, seu potius

tius Spiritu Sancto judice; *Arca, in qua octo animæ salvabantur.* Erat igitur tantùm Salvandorum Typus: nihil clarius.

Probatio Ecclesiæ, quatenùs Invisibilis, *ex objecto fidei.*

APOLOG. pag. 11. ex Coster. Jes. Objiciunt Protestantes, *Credimus Ecclesiam Catholicam*, (quæ est in Symbolo) *Ergo non videmus, quia Heb. 11. fides est rerum non apparentium.* Respondet, *Negatur consequentia, quia id quod videtur credi etiam potest, quatenùs non videtur. Thomas Christum hominem videbat, credidit esse Deum.* Mortonus docet esse fallaciam confundendi ea, quæ debent distingui; nam sunt ea diversa objecta, alterum fidei, alterum sensus. At Ecclesia Catholica in Symbolo est tantùm objectum fidei de Salvandis.

CONFUTATOR. pag. 78. *Retorqueo Argumentum. Credimus Scripturam divinam: Ergò danda est aliqua Scriptura divina Invisibilis omninò distincta à visibili Scriptura, quam videmus.* REPLICA. Hoccine est *retorquere*, an potiùs ridiculè nugari? Scripturam, quatenùs characteribus insignitur, fatemur esse visibilem; quatenùs externâ voce pronunciari potest, audibilem; quatenùs Sensus historicus & literalis plerumque apertus est & planus, intelligibilem, etiam humano & carnali intellectui; quatenùs autem assensus internus iis adhibetur mysteriis, quæ Rationis captum superant, nec sensibilem, nec naturaliter intelligibilem dicimus; nempè sine superiore Gratiæ lumine, quod formaliter & propriè est Scripturam credere, & intueri Objectum supernaturale, non oculis corporeis, non mente naturali sive animali, sed fide illâ dogmaticâ, quæ Sym-

bolo debetur, imprimisq; scripto Dei verbo. Confutator. p. 81. *Quæstio inter nos est absoluta, an videamus Ecclesiam ipsam, quæ est Sancta & Catholica: —— quæ conclusio non est contra nos, nec pro ipso.* Replica. Nescio planè quo privilegio munitus possit mihi nolenti & repugnanti quæstionis statum præscribere. Id quod ego defendebam, utrùm contra Adversarios sit, experiemur. Pontificii Articulum in Symbolo Apostolico expressum [*Credo Ecclesiam Catholicam*] in declarativum Articulum transvertunt, per novum Articulum *Romanum*; ita ut, *Catholica*, & *Romana* convertibilitèr prædicentur, ut alibi probavi, ubi docui eos bis errare. 1. Quòd pars Ecclesiæ Catholicæ nobilissima, quæ est Triumphans in cœlo, quam Articulus Symboli complectitur, per Attributum [*Romana*] prorsus excluditur. 2°. Quòd cùm [*Catholica*] in Symbolo solos *Prædestinatos* & *Salvandos* respicit, tanquàm membra essentialia Corporis Christi mystici, quæ sola est essentialitèr Ecclesia ejus, eò quòd Improbi & occultè Hæretici non sunt nisi Æquivoca membra ejus: vel ne id quidem, sed tanquàm in corpore humano *sanies*, *phlegma*, & *humores putridi* (ut alibi probavimus) sequitur, ut Attributū, *Romana Catholica*, excludat non nunquàm essentialia membra Ecclesiæ: quorum exempla duo dedimus, fidelium *Catechumenorum*, & falsò *excommunicatorum*. Cui veritati Pontificii plurimi attestantur, quo posito, duo necessariò sequuntur. 1. Contrà Confutatorem, *Malos non esse membra Ecclesiæ verè Catholicæ*. 2. *Papam malum* (fatente Bellarmino) *non esse Caput Ecclesiæ*. Objectionem Bellarmini quod attinet, (Apolog. pag. 12.) quoniam Confutator (p. 86.) negat eam quicquam adversùs *Lutheranos* facere, non est quòd ullam amplius nobis faciessat molestiam.

De

De Testimoniis Patrum Antiquorum, pro Ecclesia Prædestinatorum. Et, An debuerit Mortonus Patrum testimonia urgere; Confutatoris putida Cavillatio.

APOLOG. p. 13. Mortonus. Patroni nostri Patres Antiqui sunt salutandi, nè Antiquitatis patrocinio destituti videamur. Ad hoc CONFUTATOR pag. 88. *Mortonum agere ex testimoniis Patrum, est contra institutum seu promissum suum: nempè, quòd nemo hîc* (inquit) *causam nostram aget, nisi vir aliquis ex Pontificiorum grege: nisi fortè agnoscat Patres esse Pontificios.* REPLICA. Ridiculum Caput, qui non animadvertit illud, quod ferè nullies docui, & quod in *Apologia* singulis ferè pagellis legenti ob oculos obversatur, viz. In *Apologia* illa distinctissimè me Autores interloquentes, veluti *Dramatis* personas, introduxisse; eosque distinxisse in *Adversarios*, id est, viros Pontificios, quatenùs Causam nostram oppugnabant; in *Advocatos*, nempè, viros Pontificios, sed qui Causæ nostræ favebant: in *Reos*, *viz.* Protestantes ipsos, quatenùs accusationibus Pontificiorum satisfacere viderentur; & *Patronos*, qui sunt Antiqui *Patres*. Promisi equidem, ut nullus *vivus Advocati Causam nostram ageret, nisi vir aliquis Pontificius*, quod & sedulò præstiti. Quid malùm igitur hæc Cavillatio istius Vitiligatoris sibi vult, ut *Promissum* à me exigat, quod nec feci, nec cogitavi, nec fanè somniavi unquam? Patres ipsi nos ad se vocant.

Patres ipsi loquantur æquum est.

" APOLOG. p. 13. ex Augustino Tract. 45. in Joh. " affert, *Ecclesia est Ovile Christi, Oves sunt, quas nemo* " *rapiet, habent enim nomina inscripta in Libro vitæ.* Ex O- " rig. in Joh. 26. & Matth. 16. *Templum Dei ex Lapidi-* " *bus vivis ædificatur, ubi verum est Israel. Cum beatis su-* " *mus una civitas, de qua dictum est, Psal. 101. Gloriosa di-* " *cta sunt de te.* Ex Hieron. in Psal. 101. *Electi sunt Dei* " *Ecclesia. Si hortus conclusus est sponsa Christi, Cant. 3.* " *patere ea profanis non potest.* Ex Cyprian. Epist. 76. " *Quid est sponsa Domini, nisi congregatio Iustorum?* ex " Bernardo. Serm. 88. & 62. in Cant. *Vinea Domini est* " *Ecclesia Prædestinatorum.*

CONFUTATOR. p. 90. *Respondeo, hæc testimonia speciem habere probandi quòd Ecclesia constet ex solis Iustis & Prædestinatis: nullam autem speciem habent probandi, quòd sit omninò Invisibilis, qui tamen erat Status Quæstionis.* REPLICA. Hoc non est confutare, sed colludere, dum statum quæstionis fingit, cui novit agnovitque me contradicere, & sensu tantùm *Reduplicativo* docuisse, *Ecclesiam Prædestinatorum*, quatenùs *Prædestinatorum*, non esse omninò *visibilem*. Idcirco allegationes Protestantium, ab illo productæ, qui fatentur quòd *Ecclesia visibilis dicitur Domus Dei, Ecclesia Dei, Regnum Dei, Corpus Christi*, frustrà sunt: cùm præsertim ipse fateatur hæc Eulogia Ecclesiæ externæ tribui, *propter pios, fideles, atq; electos*. Id est, (inquam ego) propter Ecclesiam (quatenùs talium) omninò *Invisibilem*. Sed viro nimis ocioso curæ non fuit suam operam & oleum perdere.

CAP.

CAP. IX.

De Notis Ecclesiæ visibilis.

De Statu Quæstionis.

APOLOG. pag. 13, 14. Costerus Jes. sententias Protestantium recitat, de Ecclesia visibili; *Eam esse Cœtum vocatorum ad Euangelii professionem externam per Ministros verbi. Si de particularibus Ecclesiis loquamur, esse visibilem: si de fide universali & Catholica agatur, eam primò totam visibilem fore asserimus postremo die. Quod Christus loquitur de adeunda Ecclesia, [Dic Ecclesiæ] id tantùm de particularibus & visibilibus externis cœtibus intelligimus.* Hæc ille de opinione Protestantium. Rectè, nam aliud est credere Ecclesiam, quod Invisibilem significat, quatenùs est Prædestinatorum tantùm: aliud credere Ecclesiæ, quod visibilem designat. CONTRADICTOR queritur multa hîc desiderari, quæ ad exactam Ecclesiæ visibilis definitionem requirantur: dein nobis leges quasdam procedendi præscribit satis Ludimagistraliter, nè dicam Pædanticè; cùm tamen probè noverat nos non tradidisse nosmet ei in disciplinam: nec sanè fas est, præsertim cùm multò pronior sit ad eudiendum alios, quam ad Causam suam defendendam paratior.

De numero Notarum visibilis Ecclesiæ, Opinionum varietas.

« APOLOG. pag. 14. Possnanenses Iesuitæ objici-
« unt Protestantibus suam inter se dissentionem, de
« Notis Ecclesiæ; *Alios minimùm duplicem tesseram, alios*
« *tertiam ponere, alios insuper quartam quintamque apponere.*
Mortonus ibidem, ex Pontificiorum ipsorum Scriptis,
ad Protestantium *festucam* opposuit Papistis suam *trabem*, ostenditque eos in diversas opiniones miserè di-
« stractos; inter quos Sotus Notam præcipuè unam,
« *Concordiam*; Horantius unam, *Successionem*; Cate-
« chismus Tridentinus duas; Valentianus, Costerus, Sta-
« pletonus, tres hi tantùm Tres; recentiores Theologi,
« quatuor; Driedo sex; Medina decem; Sanderus duo-
« decim; Bellarminus (nam hoc etiam malum ——*Vires acquirit eundo*) Notas *quindecim confinxit.*

CONFVTATOR ad conspectum hujus belluæ multorum capitum quasi horrens, subjecit, pag. 103. *Cæterum etsi* (inquit) *in hoc Catholici pares sunt cum Protestantibus, quod alij plures, alij pauciores Ecclesiæ Notas statuant.* REPLICA. Hoc concedis, at (quod tamen dissimulas) in varietate dissentionum, quantum Tres ad Quindecim, valdè impares: laudo itaque prudentiam tuam, at candorem non item. Pergit autem CONFVTATOR. pag. 104. *Differunt tamen Catholici in hoc, quòd Catholici non rejiciunt Notas Ecclesiæ, quas alij Catholici statuunt.* REPLICA. Portentum narras, nam cum quæstio sit de Notis essentialibus, & propriè dictis, is qui Notam unicam, aut saltèm duplicem statuit, tertiam quartamque rejicere præsumitur: atque qui tantùm

tùm quintam sextamvè, alias quascunque usque ad Bellarmini decimam-quintam non possunt non respuere. Veluti qui ex filiis, quos alit, quindecim, pro legitimis agnoscit duntaxat sex, is sinè dubio reliquos pro Nothis habet. CONFVTATOR aliud Emplastrum Catagmaticum parat, cujus virtute partes fractæ coalescant, pag. 104. *Non laborant Catholici multùm de numero Notarum, sed laborant de veritate, nè ulla falsa Nota propinetur.* REPLICA. Progrediamur, ut annon etiam planè *laborent* deficiantque in Notis suis propugnandis, experiamur.

De qualitatibus Notarum; & Pontificiorum in his dissentio.

APOLOG. pag. 14. Exigebat Bellarminus ut *Notæ Ecclesiæ non sint communes, nè quidem opinione aliorum.* Id est, (ait Mortonus) *ferè nullæ.* CONFVTATOR. *Bellarminum non simpliciter opinionem aliorum, sed opinionem probabilem intellexisse.* REPLICA. Sic ille Bellarmini mentem restrinxit pro suo arbitrio; nec tamen ego multùm repugnabo; nec de aliis Qualitatibus admodùm laborabo, quæ destinato tempore discuti debeant. APOLOG. p. 15. Valentianus Iesuita citatur. *Has Notas, quas urgemus*, Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica *non sunt notæ Ecclesiæ sigillatim, sed conjunctim, quia fieri possit ut una harum & altera aliis conveniat.* CONFVTATOR. p. 107. *Mortonus multis modis corrumpit verba Valentiani: primò enim ille non loquitur de solis illis nominatis Notis quatuor, quæ habentur in Symbolo, sed simul de his, & aliis.* REPLICA. Si dixissem Valentianum loquutum fuisse de *solis* istis quatuor Notis, facilius tulissem rigidam censuram veri Correctoris, quam nunc possim aut debeam.

debeam falsi Corruptoris: nam additio vocis [*Solii*] est solius Confutatoris corruptela, quam, nisi malitiâ occœcatus, mihi objicere non potuit.

Confvtator ibidem. *Profert Valentianum dicentem, non esse Notas sigillatim sumendas:---& Valentianus non habet hoc verbum* [*Sigillatim.*] Replica. Habet Valentianus hæc verba; Notas illas non nisi [*conjunctim*] convenire: Iam igitur, *non sigillatim*, &, *non nisi conjunctim*, quid distet, cùm tibi vacat, cogita, egregie Cavillator. Fortè mihi accidit, ut vox [*fortè*] deërat in citando eodem Testimonio, quod si adesset, nihil mihi tamen obesse potuit, viz. *fieri fortè posset* (inquit) *ut aliqua prærogativa Notarum illarum per se sola & separatim reperietur in aliquo cœtu, qui non est vera Ecclesia.* Sat igitur mihi est, quod dubitaret de Notis quibusdam, quas Bellarminus, ut certas & determinatas, proposuit. Sed illud Confutatorem malè habuit, quòd in Pontificiorum mirificâ dissentione, tanquam ulcere, digitum infigerem: sed ringatur licet, dissentiones eorum minimè dissimulabo. Confvtator pag. 109. *Stupendum autem est, quod Mortonus subdit de his quatuor Notis*, Quas Protestantes, si adsint, non rejiciunt, si absint, non respiciunt: *Cum duæ illarum, nempè* Sancta, *&* Catholica *assignentur in Symbolo Apost. & omnes quatuor in Symbolo Constantinop.* Replica. Verba Mortoni hæc erant, de quibusdam objectis Notis, Apolog. p. 15. « Quas Notas, si adsint, Protestantes non rejiciunt, si absint, non respiciunt, qui summam illam, & ferè solam essentialem, individuam, perpetuamque Notam vendicant, Evangelicæ doctrinæ veritatem. Idcircò Mortoni verba non simpliciter intelligenda erant, sed comparatè, perindè ac

si

si amicum suum quis suadeat, modò rectâ utatur valetudine, non esse multùm de civili libertate, aut corporis pulchritudine laborandum. Nec igitur tàm stupor in Mortono, quàm in Confutatore livor reprehendendus erat.

CAP. X.

De Ecclesiæ visibilis Nota prima, quæ est Cognomen hoc, [*Catholica.*]

IMmensus ferè & immanis labor esset, omnes Confutatoris futilitates, veluti papiliones prosequi; tantùm in necessariis insistam. Queritur CONFVTATOR. p. III. *Statum quæstionis à Mortono esse prætermissum, quia non agitur* (inquit) *de Cognomine, Catholica, nisi quatenùs est possessum & (ut loquitur Aug.) obtentum, non autem ut est ab aliis usurpatum.* REPLICA. Ignoscat mihi Confutator, si triginta retrò annis non potui hariolari, fore aliquandò, ut Confutator quis mihi statum Quæstionis suggereret, qui anteà Bellarmino, Valentiano, & aliis nominatissimis Ecclesiæ Rom: Doctoribus aut ignotus, aut saltem non agnitus fuit. Multi acolasti & filij degeneres Titulos hæreditatis paternæ *Obtentos* retinent, quam tamen ipsi prodigè decoxerunt. Ego igitur adhuc illi Cautelæ meæ adhæreo, id est, puerile esse in nudo nomine [*Catholica*] persistere, nisi appellatio cum rei veritate ipsa concordet. Antiqui Patres hoc cognomen verè catholicéque contra Hæreticos urgebant, quamdiù illi cum cognomine *Catholici*

retinebant (ut Tertulliani verba usurpem) *Consanguinitatem doctrinæ*. De *obtento* & *possesso nomine Catholici* mox plura.

De antiqua Græca Ecclesia, haud minùs Catholicâ, quàm Romanâ.

INter testimonia Patrum Adversariis arridet, præcæteris, *Cyrillus*. CONFUTATOR. p. 114. quem (ait) *hoc nomen* [*Catholici*] *rudibus dare, tanquàm certum signum inveniendi veram Ecclesiam*. REPLICA. Distingue tempora. *Cyrillus* erat ex Ecclesia Græca, quandò (vobis confitentibus) Græca Ecclesia Apostolicam doctrinam profitebatur, atque eodem gaudebat cognomine *Catholicorum*; nec tamen agnovit illam prærogativam Ecclesiæ Romanæ, quam hæc sibi vendicat, nempè *Matris & Magistræ omnium Ecclesiarum* in toto orbe Terrarum: Cui qui non subest, *Catholicus* sc. omni titulo privatur; hic enim est unus ex Articulis illius fidei, de qua in Symbolo Romano dicitur, *Sine qua fide nemo salvus esse potest*. Undè constat posteris seculis non bono jure *obtentum & possessum*, sed *usurpatum* à Romanensibus; & Romana Ecclesia meritissimè rea sit subruti atque eversi istius Cognominis; quià ratione cujusvis nominis sublatâ, nomen ipsum erit duntaxat æquivocum.

Designent jam Adversarii, vel (si minùs possint) fingant tempus, quandò primùm Ecclesiæ Græcæ & Romanæ decessio & sectio est facta; & quandò utraque pariter Cognomen, *Catholica, possessum & obtentum retinebat*. Quæro, an tunc valere debuerit Cognomen, *Catholicum*, apud Græcos, ad discernendos

nendos eos à non Catholicis? Si debuisse dixerint, tùm Romani non essent *Catholici*, utpotè qui à Græcis erant divisi: sin verò negaverint, tum Cognomen illud, quamvis *possessum & obtentum*, non esset certum signum verè *Catholicorum*. Atque ità eliduntur nervi distinctionis, in quâ aiebat Confutator statum quæstionis consistere. Qui pleniorem responsionem desideraverit, oro imprimis ut Libros nostros tum *Apologia*, tum etiam *Grandis Impostura Ecclesia Romana* consulere, & cum hac Confutatione conferre velit; atque ita conscientiæ suæ dictamini obsequatur, per me licet.

Confutator corruptor verborum Mortoni.

CONFUTATOR. p. 120, 121. *Mortonus tantùm ait, non autem probat, quòd hoc nomen* [*Catholica*] *sit impositum, ut solùm distingueret veram Ecclesiam à Synagoga, aut certis Hæreticis.* REPLICA. Cœptum est antiquitùs usurpari nomen [*Catholici*] ut distingueret Ecclesiam veram non solùm à *Synagoga*, & ab *Hæreticis Arianis*, non dixi modò, sed etiam abundè liquidòque probavi. (Apolog. p. 15. & 16.) Sed reverà non probavi id tunc cœptum esse, ut solum ab eis distingueret: sed nè dixi quidèm Solùm: nam hæc vox [*Solùm*] est solitus Confutatoris assumentum, ut (quæ est ejus erga me charitas) indè arriperet ansam calumniandi.

CAP. XI.

Proteſtantes non præcisè Lutheri, aut alius cujuſquam Authoris appellationem ſibi aſſumunt.

" APOLOG. p. 18. Accuſantur Proteſtantes à Co-
" ſtero Jeſ. quòd more Hæreticorum veterum, *no-*
" *mina Autherum ſuorum induant*, ita ut alii *Lu-*
" *therani*, alii *Calviniſtæ* appellentur. Ad hoc Mortonus
" (APOLOG. p. 19.) Tàm abhorruiſſe Lutherum ab hoc
" hæretico cacoethi, ut nemo magis: Lutherus ipſus lo-
" quatur: *Sunt qui ſe Lutheranos* (inquit) *eſſe gaudent:*
" *non ſic, ô fatue, non ſic, oro ut meum nomen taceatur, &*
" *nemo Lutheranus, ſed Chriſtianus appelletur. Quid eſt Lu-*
" *therus? Doctrina non eſt mea, neq; pro vobis crucifixus*
" *fui. Divus Paulus* 1 *Cor.* 3. *nolebat pati, ut Chriſtiani di-*
" *cerentur à Paulo, ſed à Chriſto. Vnde mihi fœtido vermi-*
" *um ſacco accideret, ut filii Chriſti à meo viliſſimo nomine*
" *denominarentur? Abſit, ô amici! deleamus ſchiſmatica*
" *nomina, & denominetur Chriſtus, cujus doctrinam habe-*
" *mus.* Quòd verò rurſùs CONFUTATOR. p. 130. re-
fricat memoriam meam, dicens, *propoſitum mihi fuiſſe, Neminem cauſam noſtram acturum, niſi ex Pontificiorum grege:* ad hoc ſuprà reſpondi, ubi Objectionis hujus inſulſitas detegitur, & caſtigatur; quià id ego ſpondebam tantùm de eis Pontificiorum teſtimoniis, qui Proteſtantium partibus aſtipulantes, *Advocatorum* noſtrorum,

nostrorum, non *Patronorum* (id est Patrum antiquorum) personas induebant.

APOLOG. pag. 19. Sequitur *Protestantium* communis contestatio, qui (teste Bellarmino) *Tenent Spiritum Sanctum non esse alligatum ulli hominum generi.* Et Joh. Calvinus, *Omnium hominum, atq; adeò Conciliorum definitiones ad amussim Scripturarum examinari jubet.* Et Lutherus, *Non ulli homini* (inquit) *commissum est ut concludat, aut constituat quid sit fides.* Et Brentius, *Non licet* (inquit) *cujusquam sententiæ inhærere, ut eam sine judicio nostro complectamur.* CONFUTATOR. pag. 132. *Nego Consequentiam.* REPLICA. Nihil est dictu facilius, sed quâ fronte? Voluntnè Protestantes *Lutherani* & *Calvinistæ* appellari, tanquàm *Luthero* & *Calvino* magistralem Authoritatem tribuentes? at illi ipsi, quos vocat eorum *Magistros*, id vetant: quibus Protestantes alii aut assentiuntur, aut non. Si non assentiuntur, tum eos negant esse sibi Magistros, quibus assensionem detrectant. Sin assentiuntur, tùm non propriè permittunt eorum se appellationibus designari, qui non modò aliis à se denominari prohibent, verùm etiam sibi, & omni generi Mortalium magistralem authoritatem derogant.

CAP. XII.

De Papistarum appellatione, à Papâ.

APOLOG. p. 20. Mortonus. *Dicimus* (inquit) *nullam Sectam unquàm rectiùs à Ducibus suis, quàm Pontificios Papistarum cognomen à Papa hausisse; & esse post hominum memoriam nobilissimos Sectarios.* CONFUTATOR. p. 134. *Sic dicit, sed aliud probare conatur, nempè,* Pontificios non esse Catholicos. REPLICA. Certè si volunt (volunt autem planissimè) jurare in verba Papæ, quoties quid definiverit esse de fide, ii sunt puri puti Sectarii, & minimè Catholici. Sed Pontificii jurant in verba Pontificis, quoties quid pronunciat esse de fide, quod dicunt esse *de Cathedra loqui.* Assumptionem professio eorum ostendit, quià dicunt, *Spiritum veritatis in Papa residere: Hujus summi Pastoris voci obediendum.* Hæc quia mihi videbantur alicujus esse ponderis, Confutator joculari formâ syllogizandi difflare se posse putat.

Delicata & lepida Confutatoris Ars, in eludendo Lectorem suum, per modum syllogizandi.

CONFUTATOR. p. 135. *Hic Mortoni Syllogismus* (inquit) *si reducatur ad formam, erit hujusmodi.* Verus Catholicus non proponit authoritatem cujusquam veræ fidei, nec denominatur ab ullo homine. Pontificii profitentur se sequi doctrinam Papæ. Ergò propriissimè

propriissimè denominantur à Papâ. *Hic (ut utar ipsis Mortoni verbis infrà cap.* 18.) ex altera Præmissarum negativa, affirmativa infertur Conclusio. *Error vel à pueris, non ratione, sed irrisione refutandus. Deindè constat ex quatuor terminis, ut intuenti patet.* Replica. *Patet*, fateor, planissimè, in multis errare, nec mirum, non enim à Mortono, sed ab ipso Confutatore confitente Syllogismus hic confictus est; Cujus formam adeò deformem consultò reddidit, ac si voluptate illi fuisset, se revera *Pueris deridendum* propinare. In quo si quid esset saporis Animalis Logici, in hanc formam Syllogismum confecisset.

Qui non minùs jurant in verba Papæ, quàm ulli Hæretici veteres in verba Hæresiarcharum suorum jurare solebant, ii non minùs Papistæ à Papâ, quàm alii ulli Hæretici à suis Hæresiarchis denominati sunt.

At Papistæ non minùs jurant in verba Papæ, quàm ulli veteres Hæretici in verba Hæresiarcharum suorum jurare solebant.

Ergo Papistæ à Papâ non minùs sunt indigitandi, quàm à suis Hæresiarchis veteres Hæretici denominati sunt.

Assumptionem professio Papistica profectò nimis confirmat, quam non possit quis clariùs quàm à *Greg. Valentiano* & *Stapletono* addiscere, & eis omnibus, qui *Papæ* judicium Concilii generalis judicio anteponunt. *Valentianus* docet, *Spiritum Sanctum ità residere in Papâ, ut sivè adjudicandum diligentiam adhibuerit, sivè non adhibuerit, infallibiliter judicet.* Sic ille, quod est purus putus Anabaptisticus Enthusiasmus, & hæresis crassissima. Alter, *Papam, licèt in judicando errare possit in præmissis, tamen Propheticum esse in Conclusione.* Ridebunt hic Dialecticorum

Dialecticorum filii, qui optimè nôrunt, citiùs ex tenebris lucem, quàm ex falsis Præmissis Conclusionem materialitèr veram elici posse. Hæc cùm ità sint, quis non perspiciat Confutatorem hunc, cùm non haberet quo se aliàs propriperet, ridiculũ Syllogismum istum excogitâsse, ut contra Mortonum risum excitaret homo levis, veritati nubem induceret, Lectori fucum faceret, & sibi vir facetus delicias crearet. *Non equidem invideo, miror magis.*

Ars syllogizandi haud minùs ridicula Parsonii Iesuitæ quondam, in ipsum Mortonum.

SEmper mihi tædio fuit cum seriis ridicula commiscere, sæpè in aliis id expertus, quòd qui rebus ridiculis seriam impenderunt operam, ii in rebus seriis facti sunt ridiculi. Huc igitur me nil nisi Adversariorum insulsitas compellere potuit, qui cùm se seriis solidisque Rationibus obrui sentiunt, Lectores suos nugacissimis nugis pascunt, ut sophisticè eos ab accuratâ Causæ cognitione abstrahant.

In hoc genere excelluit præ cæteris *Parsonius*. In more erat Pontificiorum profiteri, & quoties occasio tulit exercendi *Mentalem Reservationem* seu *Restrictionem* in juramento coram Judicibus Protestantibus, sub prætextu, quòd non sint legitimi seu competentes. Hanc artem diabolicam Mortonus tunc pro virili profligare conatus est, probans quodvis juramentum, quo quis jurat, constituere eos legitimos Judices, apud quos jurat: quià dicitur Juramentum *Iehovæ*, qui vindicat jus suum, exigendo ut Juramentũ omne fiat in *judicio, justitia & veritate*, Jer. 4. Hunc Mortoni Prosyllogismum *Parsonius* dialecticaster inscitè *Syllogismum* appellavit, ejus

vitia

vitia notat, irridet, atque exagitat, Lectoremque ſuum (ne fortè neſciret) quæ ſint Syllogizandi leges, quot Syllogiſmi partes, Medium, Extrema, Copula quid ſit exprimit, & qualis eſſe debet horum omnium diſpoſitio docet, tandemque Mortoni formam Syllogizandi dignatur corrigere per formam, opinione ſuâ, exactiſſimam: ſic enim dixit; *Hæc debet eſſe Syllogiſmi ejus forma, ſi rectè conficeretur*, viz.

Omnes per Deum jurantes faciunt eos legitimos Judices, apud quos jurant.
Sed omnes jurantes apud Judices Anglicanos jurant per Deum.
Ergò, omnes jurantes apud Anglicanos judices ſunt Judices legitimi. Sic ille, tranſmutans Copulam, & transferens (*faciunt*) in (*ſunt.*)

Hujus argumentandi ſummam ineptitudinem Mortonus exemplis illuſtrabat, unum referre ſufficiet.

Omnis laudabilis materfamilias facit botulum, ſeu pulpamentum bonum.
Sed Caia Criſpa eſt laudabilis materfamilias.
Ergo Caia Criſpa eſt botulus, ſeu pulpamentum bonum.

Spectatum admiſſi?——

APOLOG. (pag. 21.) Mortonus *Tertulliani* verba protulit (ex Præſcript. c. 3.) *An ex perſonis* (inquit) *probamus fidem, an ex fide perſonas? ut indè conſtaret infallibilitatem judicii non eſſe Papæ tribuendam.*

CONFUTATOR. p. 137. *Tertullianus loquitur de eis qui ædificant ſuper qualitates perſonarum, ut quòd ſint docti, prudentes, &c. ita enim ſcribit Cap. 3. de Præ-*

ſcript. Solent quidem iſti miriones etiam de quibuſdam perſonis ædificare in ruinam: Quare ille vel ille fideliſſimi, prudentiſſimi, & uſitatiſſimi in Eccleſia in illam partem tranſierunt. Quid ergo ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi Vidua, ſi Virgo, ſi Doctor, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuit? ideò hæreſes veritatem videbuntur obtinere? ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas? *Catholici autem non ædificant fidem ſuam ſuper hujuſmodi perſonas, ſed ſuper Petram, ſuper quam Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuam: ſuper quam autem Petram Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuam, ſuper eandem ſecurè poſſumus ædificare fidem noſtram.*

REPLICA. Id eſt (Bellarmino & Papiſtis aliis definitoribus) *ſuper Papam*, quam Bellarminus aſſerit eſſe *Communẽ ſententiam, ſuper Papam ut eſt Paſtor Eccleſiæ*: quam ego in lib. de Grandi Impoſtura Eccleſiæ Rom. c. 4. probavi eſſe interpretationem violentam, & adulterinam, non modò ex antiquis Patribus, verum etiam ex Pontificiis Doctoribus compluribus; imò etiam ex ſuis Pontificibus quatuor, Leone 1°. Gregorio, Agathone, Nicolao 3°. & Adriano 1°. qui per *Petram* intellexerunt illam *Confeſſionem*, quam tunc ediderat *Petrus*, cum dixerat, [*Tu es filius Dei.*] Quæ eſt profeſſio omnium Chriſtianorum. (Sed de hoc infra.) Et Tertullianus, cum negavit fidem noſtram ædificandam eſſe *ſupra perſonas fideliſſimas, prudentiſſimas, & uſitatiſſimas* in Eccleſia, potuitne Papam, opinione Papiſtarum, prudentiſſimorum prudentiorem excipere?

CONFUTATOR. p. 138. *Quod addit Mortonus, de infallibili Papæ judicio, ad alium locum pertinet.* REPLICA. Imò non patimur te ita elabi, ſed aurem tibi vellicamus, & apud vos celeberrimi nomi-

nis

nis Theologum Melchiorem Canum consulas hortamur, de Papa Honorio, Loc. Theol. lib. 6. c. 8. p. 213. Sed defendat Pighius (inquit) Liberium, excusset Marcellinum, Victorem vindicet, Anastasium liberet, at Honorium quomodò ab errore vindicabit? quem Psellus, Thomasius, Theodorus, Epiphanius, tota deinde Synodus septima, Adrianus quoque Romanus Pont. in Act. 5. Synodi 8. generalis ubi addit, sententiam hæreseos in eum latam ex Rom. Pontificis consensu fuisse. In Synodo 6. Agatho Papa Honorium anathematizabat: idem testatur Beda; Leo Papa anathematizabat (inquit) Honorium, qui profanâ proditione immaculatam fidem subvertere conatus est. *Ex quo constat (nisi quòd perniciosa) quàm ridicula sit Papistarum hodiernorum de Papa sue gloriatio.*

citatur Apol. Cath. part. 2. lib. 3. cap. 24.

De Patrum quorundam Testimoniis circa notam nominis, [*Catholici.*]

APolog. p. 21. ex Augustino. *Postremò tenet me* (inquit) *in Ecclesiâ ipsum Catholici nomen, &c.* Hanc notam Bellarminus primam facit & palmariam, quam Augustinus adhibuit ut *Postremam*, & quasi ancillariam. Deinde Augustinus negat Catholicos huic nomini adhærere, si fortè in ea poterit aliquid inveniri Euangelio contrarium. Ergò non est absoluta nota Ecclesiæ. CONFUTATOR p. 139. *Fortè Bellarminus*, &c. REPLICA. Tantùm Conjecturam, veluti tuam sectaris umbram, APOL. ib. Deindè Augustinus. *Nec Catholicis Episcopis credendum est* (inquit) *siquidèm fortè fallantur, ut contra Scripturas Canonicas aliquid sentiant.* Ad hoc CONFUTA-

FVTATOR, pag. 140. *An quià non credendum eſt Epiſcopis Catholicis, ſi doceant contra Scripturas, ideò nomen* Catholicum *poteſt eſſe fallax nota veræ Eccleſiæ? an Catholici Epiſcopi, & Catholicum nomen Eccleſiæ idem ſunt?* REPLICA. Quæſtione quæſtio, veluti clavus clavo facilè pellitur. An non nomen Eccleſiæ cujuſlibet *Catholicæ* videtur vobis pendere à Judicio *Catholicorum Epiſcoporum?* annon ſi illi Epiſcopi Hæreticè fallantur, Eccleſiæ Catholicæ nomen Catholicum fallax erit, & alteri veſtræ Notæ, de perpetua ſucceſſione Catholicorum Epiſcoporum, repugnans.

CONFUTATOR. pag. 143. *Vt doceat quomodò Eccleſia Romana Catholica ſeu Vniverſalis dicatur, dicit: Si per* Romanam Eccleſiam *intelligas non particularem urbis Romæ, ſed univerſam, quæ illi communione conjungitur, eamque agnoſcit Caput, ipſa eſt una numero, & univerſa vera Eccleſia.* REPLICA. Quam ego doctrinam, de abſoluta communione cum Rom. Eccleſia, probavi eſſe ejuſdem Eccleſiæ *Grandem Impoſturam*, libri illius cap. 2. per Argumenta ſeptem, ex cauſæ viſceribus deſumpta: ad tria duntaxat digitum intendam; unum erat, *Catholica* erat Eccleſia per annos complures antequàm ullum vel *nomen* vel *nota* extitit Eccleſiæ *Romanæ*. Alterũ, quià caret omni fundamento neceſſariæ veritatis, ſivè ex Scripturâ, ſivè ex Traditione, propter incertitudinem veri & legitimi Capitis Rom. Pontificis. Ut alia omittam, quibus ea inſigniter falſa, ſchiſmatica, & perjurii nutrix eſſe eis, qui ad eam fidem ſuam juramentis obſtrinxerunt, liquidò probatur.

CAP.

CAP. XIII.

De ſecunda Nota Eccleſiæ, quæ eſt Antiquitas.

Status quæſtionis.

"APOL. pag. 22. Mortonus. Antiquitas vel nuda proponitur, vel veritatis patrocinio munita: ſi illud, fucum, ſin hoc, fidem facit. CONFVTATOR p. 146. Antiquitas *aut eſt in re nuda à veritate, & fatemur quòd hujusmodi fucum facit: aut eſt nudè ſumpta in argumento, & ſic eſſe poteſt certa nota veræ Eccleſiæ.* REPLICA. Hæc Sphinx eſt, & ego non ſum Oedipus. Voluit ille quidem approbare diſtinctionem illam, ſed nè videatur id velle, verborum involucris ſenſum ſuum abſcondit.

Romana Eccleſia, quatenus non Antiqua ſatis.

CONFVTATOR p. 149. *Contendit (Mortonus) probare religionem Romanam non eſſe antiquam, ſed novam: & quoniam Bellarminus l. 4. c. 5. ait quòd* In omni inſigni mutatione, &c. *Mortonus autem omittit particulam,* Inſigni, *non ſine inſigni fraude, quià in eâ ſita eſt vis Argumenti Bellarmini, quòd* In omni inſigni

mutatione religionis assignari potest Author, tempus, locus. *Sic ille.* REPLICA. Primò fides mea vindicanda est, antequàm Causam discutiam.

Confutatoris odiosa Calumnia.

Nam APOL. p. 25. ad Bellarminum alludens, dixi, *In omni* (inquis) *magna mutatione priùs Author* &c. *Magna* & *Insignis* quid interest? non igitur *Insignis* Mortoni *fraus*, sed pervicax tua Contradicendi libido: quin ut par pari referam, nonne magna tua fraus erat, quòd vocem [*Magna*] dissimulâsti? APOL. "pag. 24. 25. probatur contra Bellarminum, *Hæ-*"*reses insignes* extitisse, ubi nullus *Author*, *Tempus*, "aut *Locus* assignari potuit. 1°. Ex natura *Hæresis*, quæ "assimulatur morbo, qui *Cancer* dicitur, 2. *Tim.* 2. 16. "quòd (commentatore Espenseo) *paulatim serpit*, & "*omnes partes occupat.* 2° Ab *experientia Hæresium*, "quarum Authores Ecclesiam latebant. 3°. Ab *In-*"*stantia* depravatæ Consuetudinis in Ecclesia *Rom.* "abstrahendo *usum Calicis populo: quæ quandò coeperit* "(fatente *Valentiano Iesu:*) *minime constat*; postquam "contraria *Consuetudo* per Annos mille duraverat. CONFVTATOR p. 149. *Nulla est similitudo, quoad hoc, in corpore infecto* cancro, *& in Ecclesia infecta hæresi.* REPLICA. Etiam *quoad hoc*; nempe, initium hujus morbi est plerunque occultum, nec ab aliis, nec verò ab ipso, qui inficitur, primis initiis observatum: quæ præcipua ratio est cur altiùs infigi, ac latiùs serpere sinatur. Neque enim patitur naturalis in homine φιλαυτία & salubris affectus, depellendi ea, quæ sunt vitæ noxia, malum tàm pestiferum, modo agnitum, radices agere, ac totius corporis la-

bem

bem tabemque inducere. Dein premitur Confutator Bellarmini teſtimonio. CONFVTATOR pag. 150. *An putat Mortonus obligari* Catholicos *ad tuenda omnia argumenta Bellarmini, aut argumenta Bellarmini eſſe fidem* Catholicam? REPLICA. Stomachatur valdè, & in Bellarminum irruit, ſed quid Cauſæ ſit quod inter illum Cardinalem & hunc ἀλογειοπίσκοπον minùs conveniat? nonne Reſpondendi anguſtiæ? aliquanto poſt tamen inſtat, & negat in his probari *Inſignem mutationem.* Quaſi vero omnis *Inſignis Hæreſis* ubicunque, quandocunque, & à quocunque oriatur, prout ſemel invaluerat, non eſſet *Inſignis mutatio*, quâ Eccleſiæ antiquitatem inſigniter depravaret atque corrumperet.

Ad inſtantiam ablati à populo *Calicis* reſpondet CONFVTATOR pag. 152. Gelaſius *non dicit ſimpliciter eſſe ſacrilegum, ſcilicet abſtinere ab altera ſpecie* ex præcepto Eccleſiæ, *ſed (ut loquitur) ex* ſuperſtitione, *prout faciebant Manichæi.* REPLICA. *Manes* Author *Manichæorum* erat, qui ipſo nomine proximè accedit ad μανίαν. Eidem Confutator noſter quam affinis ſit, ex hoc conſtet: nam Papa *Gelaſius* duo in *Manichæis* diſertiſſimè reprehendit, quoad *Euchariſtiæ abuſum*; Opinionem, & Praxim. 1°. Opinabantur fatui, ideo abſtinendum eſſe a Calice, quià vinum non à bono deo, ſed à malo eſſet creatum: quam *Gelaſius* perſtrinxit dicens, *Neſcio quâ ſuperſtitione dicuntur aſtringi.* Praxis eorum erat non niſi in unâ ſpecie (viz. pane) communicare: ad hoc *Gelaſius* imperat, aut ſumendam utramque, aut ab utraque abſtinendum. Ratio; *Quia diviſio unius ejuſdemque ſpeciei non poſſit ſine grandi ſacrilegio provenire.* Sic doctus juxta & pius Pontifex *Gelaſius*, tùm *Manichæorum* opinionem,

pinionem, ut *ſuperſtitioſam*, tùm etiam praxim ut *Sacrilegam* damnavit. Eccleſia Romana quamvis opinionis Superſtitionem ſubſequentibus ſeculis non imbiberit, praxim tamen haud minùs ſacrilegam indies admittit, abſtrahendo uſum Calicis populo. Confutator, ut *Eccleſiam Rom.* vindicet, eam liberam eſſe vult à ſuperſtitione opinionis: at quòd ſit Grandis Sacrilegii rea (quæ eſt ſola noſtra Criminatio) penitùs tacet atque diſſimulat, quâ fraus nulla Inſignior aut deteſtabilior, cum de induſtria fiat. Et ſanè non poſſe eum ignorantiam prætexere, hoc unum ſuadet, quòd librum noſtrum *de Miſſa* ſæpe citat, & pro lubitu nunc hîc, nunc illîc multa notat, & ſubindè exagitat: in quo, Lib. 1. Cap. 3. Sect. 4. hæc ipſa noſtra Reſponſio pluribus ex primitur, ubi etiam *Par* nobilium fratrum, viz. *Brierlæium*, & *Fiſherium* pari dolo uſos monſtratur: & res ipſa Similitudine illuſtratur. Si Gelaſio ea mens fuiſſet, ut propter periculum effuſionis, aut ob dignitatem Sacerdotii, aut aliam quamlibet Cauſam *Laicos* a Calice, ex Eccleſiæ mendato, legitime arceri poſſe cenſuiſſet, certè nunquàm diviſionem unius ſpeciei ab alia *Sacrilegii* ſtigmate notâſſet; ſed potius ita reſpondiſſet, Vos, *Manichæi*, nimis eſtis temerarii, qui Eccleſiæ mandatum aut praxim non expectatis: facitis id quidem quod ob graves Cauſas poterit conſtitui, dum Calicem ſacrum ſubmovetis: ſed hoc non à vobis, ſed ab Eccleſiæ doctoribus eſt derivandum. Ille autem longè aliter ex natura rei, & ſacræ Euchariſtiæ integritate pronunciat, nefas eſſe, quovis prætextu ſiccum Convivium populo miniſtrare.

"APOL. p. 25. Vehementer expecto ſi nunc Antiochena Eccleſia cum Pontifice Rom. velit de iure

"Anti-

"Antiquitatis contendere; an ex antiquitate Loci Causa hæc definienda sit? si ex mera Antiquitate nominis Ecclesiæ Catholicæ, Ecclesia Antiochena *Romanæ* hanc notam facilè præriperet: nam, ut Bellarminus: *Antiochiæ* Petrus *Cathedram suam aliquandiu tenebat, priusquàm ad* Romam eam *transtulisset.* CONFV. p. 154. *Respondeo, quòd aut mutat quæstionem, aut eam non intelligit; quis enim unquàm dixit Causam hanc definiendam esse ex Antiquitate Loci, & non ex antiquitate ipsius Ecclesiæ, seu societatis in professione fidei?* REPL. Quo quid dici potuit obtusius? quæstio enim est, unde potissimum innoteſcat Ecclesia, quæ veram fidem profiteatur. Notam verò, ad eam distinguendam, Pontificii *Ecclesiæ Antiquitatem* jactitant, ita ut ex Antiquitate Ecclesiæ fidē ejus dijudicandam sentiant, non ex fide Antiquitatem. Quodsi enim ex Antiquitate fidei Ecclesia vera æstimanda esset (uti dixi Apol. p. 25.) ex Scripturarum tabulis Causa agenda esset, quibus nemo possit novitatem ascribere. Adhuc igitur hæsi in viscéribus Causæ.

CONFVT. p. 155. *non protulit Mortonus ullum Catholicum, qui directè aut indirectè asserit maximam Antiquitatem inter omnes Ecclesias Christianas non esse certam notam veræ Ecclesiæ Christi.* REPL. Ratio est, quià nunquam incidi in Pontificium doctorem ullum, qui ità desipueret, ut directè aut indirectè assereret, vel fingi posse fuisse unquàm *Maximam antiquitatem inter omnes Ecclesias*; cùm præsertim *Hierosolymitana* multò antiquior *Cæsarienſi*, hæc *Antiochenâ*, istâ *Britannica*, & hæ singulæ antiquiores *Romanâ* Ecclesia, ut ex Pontificiorum ipsorum Confessionibus abundè probavi in *Grandi Impost. Eccl. Rom.* Cap. 3. Sect. 3. Sed nihil est molestius, quàm cùm vafro & præfracti ingenii Ad-

versario differere. Ad extremum, CONFVTATOR Quæstionis statum novum commentus est. pag. 156. *Omnes Christianæ Ecclesiæ, quæ sunt oppositæ Rom. Catholicæ Ecclesiæ, ex ea aut immediatè aut mediatè exierunt.* REPL. Quæ hæc est hominis vertigo? 1°. fingit omnes Christianas Ecclesias olim aut membra fuisse *Ecclesiæ Romanæ*, aut eidem subditas, cum tamen (nisi Antiquitas ipsa, quæ clarè loquitur in Patrum scriptis, nos fallat) *Græcæ Ecclesiæ* nunquam subditæ fuerunt *Romanæ*. 2°. fingit Ecclesias aliquas *mediatè exiisse* ex Ecclesia Rom. quasi verò membrum aliquod, nisi immediatè, à Corpore abstrahi queat. 3°. fingit universas Ecclesias alias, ex ipsarum desertione Ecclesiæ Rom. Antiquitatem suam perdidisse; perinde ac si quis paritèr argutetur, quià *Abraham* discedebat *à Loth*, Ergo nepos erat patruo suo senior. 4°. fingit (sic enim ait) *Romanam Ecclesiam non mutâsse religionem suam.* Quod est fœdum mendacium; Certè novos & fictitios Articulos antiquo Symbolo superaddere, est (ut Bellarmini verbo utar) *Insignis mutatio.* Cujus depravationis vexillum erigitur Bullatum per *Bullam Pii Quarti Pont.* sub quo militare coguntur miseri vestrates Pontificii, Sacramento votivo obligati.

CAP.

Cap. XIV.

Sententiæ Patrum de Antiquitate.

"APOL. p. 27. Mortonus Patrum Sententias citat. CONFVTATOR. p. 157. *Rem breviter expedit*; Testimonia multa, *inquit*, non sunt ad propositum. Et eo recurrit *p.* 158. CONFVTATOR. *Proferat si potest Mortonus* (inquit) *unum* Patrem, *qui negat maximam Antiquitatem inter omnes* Oppositas Ecclesias Christianas *esse certam notam veræ Ecclesiæ Christi, aut nihil profert contra nos.* REPLICA. Hoc est Confutatoris ultimum diverticulum, quod modò probavi ex figmentis meris esse conflatum. CONFVT. p. 160. *Accedit, quod ipse Mortonus agnoscat maximam Antiquitatem esse certam notam veritatis doctrinæ, & proinde hìc infert veritatem sacræ Scripturæ, eò quod* bonæ partis illius est summa antiquitas, & ante quamcunque Scripturam profanam. REPLICA. Dixi, nec Confutator contradixit. Neque verò quicquam inde ad causam suam lucratus est. Sed addo; Etiam inter Ecclesias Christianas, ubi ex utraque parte prætenditur Antiquitas, non requiritur ut unicam tantummodò particularem Ecclesiam, ut antiquissimam allegent: satis est, si ex antiquissimis aliquam earum, quas *Tertullianus* non singulari numero, sed plurali vocat *Matrices & Originales fidei*, nempè ex Apostolicis, aliquam proferat. Quin etiam si simplicitèr prima & antiquissima requiratur, ea non

Romana, sed Græca Ecclesia primo genituræ Prærogativam jure optimò sibi vendicaret.

Cap. XV.

De *Duratione Diuturna*: & *An sit vera Nota Ecclesiæ*.

"APOL. p. 27. ex Bellarmino. *Diuturna duratio, nec interrupta, est nota Ecclesiæ: Ecclesia enim Catholica dicitur, non solùm quià semper fuit, sed quia semper erit.--At Ecclesia* Rom. *semper ab* Apostolis *duravit.* Ergò est vera Ecclesia. Sic ille, ubi Durationem continuam tàm à parte antè, nempè ab ipsis Apostolis, quàm à parte post, usque ad finem seculi, asserit esse *Notam Ecclesiæ*. Hîc ego Cardinalis oscitantiam perstrinxi, quasi juberet nos discernere Ecclesiæ Rom. Veritatem ex eo, quòd multis post seculis duratura sit. Quo nihil insulsius, nisi probaverit Romanenses Prophetiæ dono imbutos, ità ut possint de suæ Ecclesiæ futuro in finem seculi statu infallibiliter divinare. CONFVT. p. 161. *Bellarminus non probat suam Ecclesiam esse veram, quià durabit in posterum, sed Ecclesiam dici Catholicam, quia semper erit.* REPLICA. Inter ~~Dici~~ & *Esse* multum reverà est discriminis; At cum, ut ex Bellarmini verbis patet, definivit Durationem Ecclesiæ quoad *Fuisse* & *Futuram esse Catholicam*, Confutator qualis in respondendo

Fore

dendo vel ipse sit, aut etiam dici velit, apud se deliberet.

"APOL. p. 29. Mortonus quoad illud; *Durabit Ecclesia* "&c. probabat ex nobilioris notæ Pontificiis docto- "ribus; qui (Respectivè) dixerunt Romanam urbem, "quæ dicitur Papæ Rom. sedes, antè mundi finem fo- "re sedem *Antichristi*, & omnis *Idololatriæ* officinam, "defecturam à fide, atque adeò futuram esse habita- "tionem dæmoniorum: & tandem divino judicio, "ante mundi finem, igne conflagraturam. Hoc vr- "gebatur tunc contra Bellarminum, qui negaverat "*Romam futuram sedem* Antichristi *&c.* Testes, quos "laudavimus, fuere Theologi Anglo-Rhemenses, & "Ribera ac Viegas Jesuitæ. CONFVT. p. 154. (pro 164) *Quid hoc ad propositum? potest vera Ecclesia durare, sive* Antichristus *sessurus sit* Romæ, *sive alibi.* REPLICA. Absit ut hoc negemus, quia multas Ecclesias veras & Catholicas ibi esse credimus, quæ *Antichristiano*-Romano Deo subjici nolunt. Cedò enim, quicunque es Rom. Ecclesiæ Pugil acerrimus, cum Romana Ecclesia à Rom. Catholicâ sede (quæ urbs *Roma* est) jus habeat, ut sit & dicatur *Romana* (quia *Petrus* ibi sedem fixit) quomodò, Cathedrâ ejus de medio sublatâ, diutius ea aut *Romana* aut *Apostolica* dici, aut censeri queat?

CAP.

CAP. XVI.

Amplitudo, an sit Nota Ecclesiæ.

" APOLOG. p. 29. Mortonus introducit Anglo-
" Rhemensium Theologorum objectionem
" hanc, viz. *Si Protestantes ullum in se Theologiæ*
" *sensum haberent, nunquam dicerent Ecclesiam posse à fi-*
" *de deficere, id est, à Christo sponso divortium pati.* Hic notanda occurrit (ne quid gravius dicam) Insci-tia vestra, quia Bellarminus noster advocatus; *Notandum est* (inquit) *multos ex nostris tempus terere, dum probant, absolutè Ecclesiam non posse à fide deficere: nam Protestantes id concedunt, sed dicunt id intelligi de Ecclesia visibili.* Sic Bellar. Stapletonus igitur & Valentianus Iesuita operam multùm ludunt, qui hoc prolixè satis strenuèq; probare conantur. CONFUTATOR. pag. 156. *Mortonus approbat id quod ait Bellarminus.* ——*Concedit igitur Ecclesiam visibilem posse à fide deficere.* REPLIC. Quis hoc dixit? anne Mortonus? sit testis Confutator, qui (in quo sibi egregie contradixit) verbis immediatè sequentibus ait; *Secunda Mortoni Cautio est, aliquam Ecclesiam veram, etiam visibilem, semper extitisse, Protestantes non inviti largiuntur, sed nullam unam & individuam Ecclesiam eo privilegio esse munitam, ut non possit a fide deficere.* Ex his satis significant, (ait Mortonus) hoc interesse inter Ecclesiam *Visibilem* in genere, & quamvis *Individuam*, quòd tota Ecclesia visibilis nequeat, quævis

quævis autem singularis possit à fide deficere. quid planius?

CONFUTATOR. pag. 157. *Cur dicit Mortonus Protestantes largiri aliquam visibilem Ecclesiam* semper extitisse, *potius quam* semper existere? REPLICA. Cum dixi visibilem Ecclesiam nunquàm posse deficere, abunde satis docui tùm extitisse, tùm existere; tùm etiam semper extituram esse. Idque ex meis verbis collegisset, si qua ei esset ingenui pudoris mica. Dixi enim, Aliquam Ecclesiam *veram visibilem* semper extitisse; at Individuam Ecclesiam nullam non posse deficere: ibi igitur Antithesis subest inter aliquam semper duraturam visibilem, & hanc aut illam Ecclesiam visibilem, tanquàm quæ possit deficere. Idcirco ex hac exceptione hic adversarius non tam Confutatorem eruditum, quàm putidum Cavillatorem se prodit; & pergit insuper ineptire.

CONFUTATOR. pag. 158. *Præterea cum ait, quòd* Nulla sit una & individua Ecclesia Catholica, quæ non possit deficere à fide, *debuit addere*, Nulla una particularis, & localis Ecclesia. *Nam & ipsa totalis Ecclesia Catholica est una individua Ecclesia.* REPLICA. Hoc necesse non fuit, quia apertè Ecclesiam illam visibilem, quam individuam, quamq; deficere posse dixi, distinguebam ab una altera Catholica Ecclesia, quam nunquàm defecturam esse, asserueram non semel. Quapropter Confutator noster, cum subtilis esse laborat, futilis fit & paulò stolidior, nisi fortè ignorantiam suam dissimulans, didicit illud Comici, *Nescis quod scis, si sapis Dromo.*

APOLOG. p. 30. Mortonus Testimonia ea, quæ solam Catholicam invisibilem exprimunt, non esse cum hâc quæstione, de visibili particulari Ecclesia, per-

permiſcenda: hujus generis ſunt ea quæ Bellarminus paſſim objicit & inculcat, Matth. 16. *Portæ inferni non prævalebunt adverſus eam.* Pſal. 47. *Fundavit eam in æternum.* Matth. ult. *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Quæ ſingula Patres fere ſinguli de ſolo Electorum cœtu interpretantur. CONFUTATOR. pag. 160. *Veteri ſuo errore confundit cœtum Electorum cum Eccleſia omninò Inviſibili.* REPLIC. Certè, *Cùm Eccleſia omninò inviſibili*, ſi addideris, quatenùs eſt *Cœtus electorum*, nec Confutator contrarium unquàm evincet.

Quid ſignificatur per [Petram] ſuper quam ædificata eſt Eccleſia. MATTH. 16.

CONFUTATOR p. 161. *Sive Petra ſit Petrus, (ut Catholici volunt, & Patres omnes docent, uti oſtendit Bellarminus, lib. 1. de Pont. c. 10.) ſive ſolum Chriſtus, ut Proteſtantes contendunt.* REPLICA. Cum dicunt Proteſtantes, per *Petram* ſignificari *Chriſtum*, intellexerunt Metonymice, nempè Chriſtum in confeſſione Petri ſignificatum. Hoc poſito, oſtendo Bellarminum juxta & hunc Confutatorem ſtrenuè, & ſplendidè mentiri, quòd lectoribus ſuis perſuadere ſatagunt, Catholicos (nempè Pontificios Doctores) & Patres omnes à Proteſtantium expoſitione abhorrere, & ſenſum Bellarminianum profiteri.

Pontificios multos expoſitioni Papiſticæ adverſatos eſſe.

LIbro de Impoſtura Eccleſiæ Rom: citabam ex Pontificiis Patribus, & Pontificibus ipſis benè multis,

multis, qui rejectâ expositione Bellarminianâ, Protestantium interpretationi patrocinati & astipulati sunt. In hunc finem, ex proposito Pontificiis doctoribus pluribus prætermissis, delectum fecimus; (exemplicausâ) ex ordine Prædicatorum, Ferus: [*Super hanc Petram.*] *i. e. Super confessionem Petri, & non super alium quemvis hominem.* In Matth. 16. ex Glossatoribus, Glossa decreti; *Super illo articulo fidei, ita super Se Dominus fundavit Ecclesiam.* Part. 1. Dist. 19. in Ca. Ita Dominus noster. Ex ordine fratrum Lyranus: *Super Christum.* In Matth. 16. ex Societate Iesuitarum Pererius. *Christus est Petra, super quam fundata est Ecclesia.* Comment. in Dan. lib. 2. super illa verba [*Abscissus est lapis.*] Ex Episcopis Abulensis; *Non Petrus, sed ut melius Alii, Christus: imò super confessionem ipsam.* In Matth. 16. quæst. 67. Rationem attexit; *Quia Petrus negans Dominum, à fide defecit.* Ex cœtu Cardinalium, Hugo; *Petra, seu fundamentum Christus.* In Matth. 16. Item Cusanus, *Per Petram intelligimus Christum, quem confessus est Petrus.* Audin', vel viden', bone Confutator, hanc phalangem testium ex omni vestratium gente, variisque ordinibus delectam? his, spero, te addes Commilitonem, sivè Prædicator fueris, sive Glossator, seu Fraterculus, seu Jesuita, seu Episcopus (quamvis tantùm nominativus,) seu denique voto & spe Cardinalis.

Pro Protestantium expositione non paucos Patres extitisse Patronos.

BOzius lib. 18. de signis Ecclesiæ, cap. 8. jactabundus ostentator, *vocem* [*Petram*] refert *ad Petrum*: *Quæ est* (inquit) *communis Patrum omnium interpreta-*

tio— quantum ſcio unus Auguſtinus hæſitat. Sic ille. Cujus profligatam audaciam, & conſcientiam quodammodò calloſam malim evidentiâ teſtimoniorum Patrum, quam aliquâ aſſertione meâ perſtringere; tantum expoſitiones eas, quæ in libro noſtro *de Grandi Impoſtura Eccleſiæ Rom.* cap. 4. Sect. 4. amplè exactéq; traduntur, in compendio compingam. Interdum dicunt *Petrum dici à Petrâ, ut Chriſtianum à Chriſto.* Chriſtianus autem non eſt Chriſtus. Pro hac expoſitione introduximus ex Patribus Auguſtinum, Hieron: Origen. Interdum *Petra, quam confeſſus eſt Petrus:* vel ſic, *Una hæc fidei Petra, Petri ore confeſſa.* Hilarius, Chryſoſt. Greg. Niſſen. Ambroſ. Theophylact. Iſidor. Peluſiota. At Petrus non confitebatur ſeipſum, cum dixit, [*Tues ille Chriſtus, filius Dei viventis.*] 3°. Cum negatione contrarii, ut, *Non ſuper Petrum.* Chryſoſt. *Non te ſuper me, Petre.* Auguſt. Nunc rurſus affirmativè & expreſsè, *Petra eſt Chriſtus, & ſuper Chriſtum.* Ambroſ. Hieron. Auguſt. Anſelmus, Beda, Quod ad objectam *hæſitationem Auguſtini* attinet, ex Pontificiis Abulenſis jamdudum ſatisfecit, cùm dixit, *Auguſtinus [Harum duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior eligat lector] non ita dixit, quaſi utraque ſit ſuſtentabilis, quia ipſe ſecundum tenet [ſuper Chriſtum:] nam primum dicit ſe tenuiſſe in quodam loco, ſecundum autem ſe ſæpiſſimè poſuiſſe, & hic ipſe hanc tenet, & eſt verior.* Sic ille. Quanquam etiam ex Patribus iis, qui per [*Petram*] interpretantur Petrum, propter firmitatem fidei ipſius Petri perſonalem id dixerunt, non propter ejus dominium, aut propter derivandã in ſucceſſores ſuos infallibilitatem; ut ibidem pluribus probatur.

Etiam

Etiam Rom. aliquot Pontifices Protestantium expositionem tradidisse.

DE his jam anteà diximus, quandò laudavimus *Leonem* primum Papam, *Agathonem primum* Papam, *Nicolaum primum* Papam, & *Adrianum primum* Papam; Papas quatuor, eosque ex sui nominis *primis*, nè videamur novitatem affectare, qui singuli per [*Petram*] intellexerunt *Confessionem Petri de Christo*. Quis igitur confutatorem hunc juxtà & adversarios alios omnes, qui in hac causâ Patrum consensum sibi vendicant, non putet pudorem sibi propemodùm excussisse? Eundem ergo ego subigo ac moneo, ut ad se redeat, ac cogitet qui vir fiet, ut in horum summorum Pontificum sententiam transeat, saltèm eâ ratione, ut factus hisce summis Præsulibus ὑμόδοξος, fieri possit aliquandò ὑμόδοξος. quid enim vetat, quin saltèm eo modo nominali, quo jam incedit Episcopus, fiat ex Papabili Papa titularis?

" APOLOG. p. 30. Secundò, quandoquidem " Protestantes non gravatè admittunt, Ecclesiam " quoque visibilem aliquandiu floruisse, & in sum- " mo splendore plerunque conspicuam extitisse, " παρεργα sunt omnia ea testimonia, quæ nihil aliud " possunt efficere. Horum in numero ponimus, " Matth. 18. *Dic Ecclesiæ*: Psal. 128. *In sole posuit ta-* " *bernaculum suum.* Act. 20. *Attendite gregi.* Matth. 5. " *Civitas supra montem posita.* 1. Tim. 3. *Vt scias quo-* " *modo te geras in Ecclesia Dei.* Ephes. 4. *Quosdam dedit* " *Pastores Ecclesiæ.* Quæ singula indefinitè loquun- " tur de Ecclesia, nullam certam, individuam distin- " guunt, perpetuâ veritatis successione conspicuam.

CONFUTATOR. p. 164. 165. *Respondeo, si nihil aliud vellet Mortonus quàm verbis exprimit, sc. ex dictis testimoniis Scripturæ non aliud colligi, quàm quòd Ecclesia indefinitè sit visibilis, non autem quòd ulla certa particularis visibilis Ecclesia sit semper vera, cum ipso hac de re non contenderem, quià hic non ago de perpetuâ visibilitate alicujus Ecclesiæ particularis, sed tantum totalis.* REPLICA. An igitur satis sanus est Confutator, qui toties pugnavit absque Adversario? quippe non ego dixi, *Prædestinatorum Ecclesiam invisibilem esse omninò*; sed præmissa hac restrictione, [*quatenùs est Ecclesia prædestinatorum.*] Quid multa? velit quis CONFUTATOREM ita loqui, ut eum videat? attendat, oro, verbis ejus penè immediatè sequentibus: *Cum igitur semper sit Ecclesia, quam Deus acquisivit sanguine suo, eaque sit visibilis, ut fatetur Mortonus.* REPLIC. In quo sibi apertissimè contradicit, qui multoties de me deblateravit contrarium.

cc Apolog. p. 30. ex Bellarmino. Locus Esaiæ, cap. 61.
cc *Fœdus perpetuum feriam cum eis, & omnes qui viderint*
cc *eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Hic locus profectò tam perspicuus est, ut explicatione non indigeat.* CONFUT. p. 168. *Respondet Mortonus*, Non dici, omnes videbunt & cognoscent: *sed (ut vulgata habet)* omnes qui viderint cognoscent. *At licet non dicatur, quòd* omnes videbunt & cognoscent, *tamen cùm dicitur, quòd* Deus tale fœdus feriet cum eis in perpetuum, ut omnes qui viderint possent eos cognoscere, *evidens est, quod perpetuo sunt visibiles.* REPLIC. Confutator revera perpetuò nugatur, quia quamvis evidens sit signum, quod Ecclesia perpetuò cognoscatur ab iis omnibus, qui viderint, non tamen indè efficitur, ut omnes eam videant.

Simi-

Similiter 1 Sam. 3. cum Deus interminetur Eli Sacerdoti, *Se opus facturum, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus*: haud inde sequitur, ad universorum & singulorum hominum aures perventurum illud, quod Deus erat patraturus.

" Apolog. p. 31. Postrema Cautio. Cum Prote-
" stantes asserunt Ecclesiam, instar Lunæ, nonnun-
" quam pleno orbe fulgere, nunc etiam prorsus nu-
" bem contrahere, & quasi Eclipsin pati, intelligunt
" ad eam paucitatem redigi nonnunquam, ut non vi-
" deatur nisi ab eis qui in eâ versantur, sed ut non sit
" visibilibus suis ritibus, visibilique successione, vel
" fidelibus omnibus publice cognita. Debent igi-
" tur Pontificii omnes suas vires experiri, omnesque
" suas machinas adhibere ad hoc Protestantium pro-
" pugnaculum expugnandum; ex quo etiam constat
" Parabolas illas *Retis, Ovis, Agri, Convivii* esse ab hac
" quæstione alienas: cum præsertim Ecclesiam de-
" scribunt non visibilem modò, verùm etiam glo-
" riosè visibilem. Nunc quæstionem ipsam aggre-
" diamur. CONFUT. pag. 170. *Nota, Lector, quam timidè propugnaculum Protestantium eversum, Primò cautè non explicat, ad quantam paucitatem Ecclesia* *potest redigi.* REPLIC. Imò *nota*, etiam atque etiam (quæso) *Lector*, Confutatoris vecordiam, ita Lectorem suum instituit, ut Christo dicenti, *Multi vocati, pauci electi*, obloquatur dicens, *Quam timidè assertionem suam* tradidit Christus? nam quidem dicit, *Multos esse vocatos*; sed quantus sit vocatorum numerus Arithmeticè non exprimit: nec cum ait, *Paucos esse electos*, quantillus sit grex eorum, numero non definit. Confutator scilicet! IDEM. p. 170. *At Whitakerus audacior ipso exprimit his verbis*: Si in perditissimis

tissimis Ecclesiæ temporibus unus tantùm aut alter fuerit fidelis Dei servus, sufficit: *Lutherus*. Si solus essem, *inquit*, in totò orbe terrarum, qui tenerem verbum, solus essem Ecclesia. *Humfredus*, Si duodecim, si undecim, si tres. *Imo & ipse Mortonus infrà, tanquàm ex Bernardo*, quòd Ecclesia fuit in solâ B. Virgine tempore passionis? *Annon hoc est planè redigere Ecclesiam ad non esse Ecclesiam?* REPLIC. (de sententia Bernardi paulò post.) Dicta hujusmodi, *Si unus tantùm: si ego solus, si tres*, qui sunt termini Hypothetici, non concludunt Categoricè hoc aut illud futurum, ut omnes nôrunt. Quanquam, ut demus posse fieri, nihil aliud dicunt quàm quod ante mille trecentos annos ex Romanâ Cathedrâ addiscere potuerunt: namque *Constantio* Imp. Ariano, objicienti *multitudinem Arianorum, & Catholicorum paucitatem*, respondit Papa *Liberius*; *Non referre numerum esse magnum aut parvum: nam Judæorum Ecclesia* (inquit) *in Babylone constituta ad tres pueros redacta fuit*. Annon igitur Antagonista hic ex genere *Andabatarum* ortus, qui nè Adversarios non verberet, etiam Patri suo, etiam Patrum Patri colaphum impingit? Sed exclamet ad ravim usque, licet, tamen hoc *Liberii* Papæ dicto ἐπιστομίζειν, & Confutatori os obthurare possumus; & objectiones sequentes usque ad finem capitis obterere.

CAP.

CAP. XIV.

De statu Quæstionis circa Notam Amplitudinis.

APOLOG. p. 31. ex Bellar. *Amplitudo, sivè multitudo, & varietas credentium est Nota Ecclesiæ*; & Coster. Iesuita: *Vt non modò visibilis sit, sed etiam valdè conspicua.* Rursus Bellar. *Notæ erunt tàm conspicuæ, ut omnes videant: inter quos Amplitudinem numerarunt.* CONFVT. p. 177. *Mortonus nihil minus facit, quàm quòd ponat verum statum quæstionis. Primò enim (ut in præcedenti Capite faciebat) confundit Amplitudinem cum visibilitate Ecclesiæ. Secundò, cum quæstio tantum sit de Ecclesia Christi, ipse agit de statu Iudaicæ Ecclesiæ.* REPL. Ad primam Exceptionem (quam tamen sæpè inculcat) respondeo, Me non confudisse Notas diversas, sed tantùm conjunxisse: quod à me legitimè factum esse, dicant oportet Adversarii, nisi lubitum sit illis sibi contradicere, qui tàm *visibilitatem amplam, quàm Amplitudinem visibilem* atque conspicuam definiunt esse Notam visibilis Ecclesiæ. Alteram Exceptionem quod attinet, non ego aliter *Iudaicam Ecclesiam* tracto, quàm quoties aut Patres antiquos duces, aut ipsos Pontificios Socios mihi adsciscо: Et tamen hic unus coccysmus Confutatoris, viz. *Mortonum Amplitudinem & visibilitatem confundere*, singulis ferè paginis obstrepit.

Confut.

CONFV. p. 178. *deinde refert, tanquàm ex Bellarmino (sed non signato loco) quòd* Notæ erunt tam conſpicuæ, ut omnes videant, inter quas Amplitudinem numeramus. *Cæterum hæc verba non invenio neque in Cap. 7. citato, ubi agit de* notâ Amplitudinis, *neque etiam in Cap. 2. ubi agit de conditionibus notarum, ubi ſolùm dicit, quod* Notæ debent eſſe propriæ rei cujus ſunt notæ, & notiores re, & inſeparabiles à re. REPL. Quod igitur rei eſt? nempè cupit vel maxime labem mihi aſpergere, Bellarmini ſenſum judiciumque pervertendi, quaſi non juxtà cum Coſtero *Amplitudinem conſpicuam* defendiſſem, quamque Confutator ignorare minime potuit. Bellar. enim (lib. 3. de Notis Eccleſiæ Cap. 11. Sect. *Secundò probatur*) pro illâ Amplitudinis conſpicuitate acriter contendit ex *Prophetis, qui comparant Eccleſiam* (inquit) *conſpicuo monti, qui nullo modo poteſt latere*, &c. Quas Prophetias nos quoquè agnoſcimus ſuis deſtinatis temporibus impletas fuiſſe. Negamus autem hanc *Conſpicuam Amplitudinem* perpetuam Notam eſſe Eccleſiæ. Non opus eſt in verba citata operoſiùs inquirere. APOL. pag. 31. Alterum Bellarmini Teſtimonium, quo Mortonus eandem Conſpicuam Amplitudinem impugnat, hoc eſt; *Obſervandum eſt, non requiri ut hæc multitudo ſit in omnibus hominibus totius mundi, ſed tantùm ut innoteſcat omnibus provinciis, ità ut in omnibus aliqui ſunt de Eccleſia; deindè non requiritur ut hoc ſimul fiat, ſed ſatis eſt ut fiat ſucceſſivè.* Qui vero, obſecro, Menippus (cui in Lunæ globo domicilium tribuit Lucianus) vel omnes provincias cernere unquàm potuit, aut iſtos reliquos Catholicos diſcernere? *Diſputamus* (inquis) *de Notis Eccleſiæ, quibus olim Patres, nunc Catholici omnes poſſint Eccleſiam ipſam dijudicare*

judicare: hæc autem satis est, si non simùl, sed successivè deinceps fiat. Id est, ut ego interpretor, jam esse Ecclesiæ Notam, quæ nondum est nota Ecclesiæ. Divinare hoc est, non disputare, nimirùm veluti cum Cornix in Capitolio, ἔσται πάντα καλῶς: Interpres hoc ostentum exposuit, *Est benè non potuit dicere, dixit, Erit.*

CONFV. p. 178. *Mortonus hic impugnat prædicta verba Bellarmini, sed more suo omisit referre, nè pateret objectionem suam de visibilitate non esse ad rem.* REPL. Hic est ille Coccysmus, cui suprà occurrebam, ubi ostendi, in toto hoc nostro Tractatu quæstionem institutam esse de *Conspicua Amplitudine Ecclesiæ*, quam nunc insuper probo. Notas Ecclesiæ à Pontificiis traditas, sivè *Amplitudinem*, sivè *visibilitatem* esse Notas proprias, rebus ipsis notiores, & inseparabiles, ut jam suprà agnovit Confutator. Disputo, si Amplitudo ejus conspicua non sit, tùm visibilitas & Amplitudo non sunt à se invicem inseparabiles: sin inseparabiles sint, tùm præpostera est hujus Confutatoris importunitas, qui à me exegit ut *Inseparabilia* distraham.

Quod verò Confutator queritur de aliâ omissione verborum *Augustini*, quæ Bellarminus pro se adduxerat, eodem laborat morbo, nempe calumniandi prurigine. Nam cum Bellarminum ex verbis & Confessione suâ impugnaverim, adhibitâ authoritate *Augustini*, qua Confessio Bellarmini confirmatur, nimirum Testimonium omisi, quo à fortiori Bellarminum convincerem; quod si citâssem, nobis lucro cessisset ampliori. Condonabit mihi Confutator hanc injuriam.

CONFV. p. 179. *Etsi non videant omnes Provin-*

cia Ecclesiam, potest tamen esse omnibus visibilis: Augustinus dicit, Aliud est videri, aliud totum videndo comprehendere. REPL. Nec Ego aliud sentirem, nisi quod agendum mihi sit cum istis, qui *Visibilitatem conspicuam* volunt non in potentia, sed actu consistere. CONFVT. p. 180. *Etsi vera Ecclesia fortè non sit futura in omnibus omninò provinciis mundi, nisi successivè, & non simul: tamen, juxtà communem hominum & Scripturæ loquendi modum, rectè dici potest diffundi per totum orbem.* REPL. Dormitans fortè quis hoc dixit, non vigilans, unum idemque *Simul* scilicet & *Successivè* existere, quo quid repugnantius? & hunc esse insuper *Communem hominum & Scripturarum loquendi modum*; quid, penè dixeram blasphemum magis, sed planè dicam (præsertim de homine *Extempore* scribente) quid præcipitantius dici potuit? Atque insuper hoc ab illo affirmari tantùm, cum & Cardinalem Bellarminum vindicare, Adversariumque etiam Mortonum revincere conatur, quid aut Causæ, aut Conscientiæ, aut domino suo Cardinali majori præjudicio esse potuit?

"APOLOG. p. 32. Possnanenses Jes. *Ecclesiæ claritas & Splendor in divinis literis exprimitur, ut is hominum cœtus, qui hac nota careat, Ecclesia Dei censeri non possit.* CONFV. p. 181. *Mortonus bis peccat. 1° quia non faciunt Multitudinem perpetuam Notam Ecclesiæ, sed solum Claritatem & Splendorem.* REPL. Non possunt, attamen supponant necesse est. *Amplitudo & Multitudo* ecquid diversa sonant? Bellarminum audi (lib. 3. de Notis Ecclesiæ cap. 7.) *Quarta nota est Amplitudo, seu multitudo & varietas credentium.* Sic Ille: quam cum *Notam* esse docuerit, intellexit esse *perpetuam*. Ipsum audiamus ibidem

(Cap.

(Cap. 3. Sect. *Tertio*) *Notæ veræ sunt inseparabiles.* Nec hoc Confutatorem latuit, qui passim mecum agit subleſtâ fide. Quod addit de Judaica Eccleſia & Chriſtiana, eſt præpoſterum admodùm, quià immediatè poſt hæc ipſa Cauſa agitatur.

De Eccleſiæ Judaicæ ſtatu, ante Chriſti adventum.

"APOLOG. p. 32. Eccleſiam credentium jam-"dudum ſæpè auguſtam fuiſſe, & multitudine "ac claritate floruiſſe, eſt in Confeſſo apud omnes. "Quæſtio igitur eſt, utrum multitudo ſit Eccleſiæ "militantis Nota perpetua? Poſſnanenſes aſſerunt, "Proteſtantes negant; & ex utroque Teſtamento, "Commentum hoc conantur infringere. Ex ſtatu "veteris Eccleſiæ, in quo duo tempora occurrunt, ubi "cultus dei publicus miſeris modis prophanatus in-"teriit. Primum Eliæ, Secundum primi adventus "Chriſti. Tempore Eliæ ſplendidam hanc viſibilita-"tem defeciſſe. CONFVT. pag. 187. *At rectius poſſumus nos dicere, jam penitus extincta eſt omnis Nota ſynceritatis in Mortono. Quis unquàm Catholicus dedit Amplitudinem pro Nota veræ Eccleſiæ Judaicæ, quæ erat Eccleſia particularis alligata uni loco & tempori? ut tu ſuprà, Cap. 7. retuliſti ex Bellarmino l. 4. c. 7.* REPL. Miſerum eſt cum diſputatore diſſoluti & deſultatorii ingenii agere, qui modò *ex tempore* ſi Adverſarii ſui mentem paſſim traducat, eùm probè confutatum putat: ſed nunquam Mortonus ſomniavit quenquam ita deſipere, ut *Amplitudinem* poneret notam Ec-

cleſiæ Iudaicæ, aut inſtitueret ſimplicitèr Comparationem inter *Iudaicam* & *Chriſtianam* Eccleſiam, ex parte Amplitudinis: ſed potiùs planè contrarium, ipſo Confutatore confitente, verbis ſequentibus. CONFVT. p. 187. *An non tu* (Mortone) *dixiſti C. 7. Quòd Patres cognominârunt Eccleſiam Chriſti Catholicam, ad diſtinguendam eam à Synagoga Iudæorum? Quorſum igitur contenduſti, Amplitudinem datam eſſe pro nota Synagogæ, cum Catholica includat Amplitudinem ſeu diffuſionem, per quam Eccleſia Chriſti diſtinguitur à Synagoga?* REPLICA. At non ego quæram, cur tu teſtimonium *Ederi* veſtri, quo ſum uſus, aſtutè diſſimulaveris, nè ex citatione verborum eius ingenium tuum pervicax & fraudulentum appareat? viz. "APOL. p. 33. (ex Edero) *In libris Regum deſcribitur* "*regnum Iudæ, & regnum Iſrael: per regnum Iudæ deſig-*"*natur paucitas fidelium, tantùm enim tribus duas conti-*"*nebat; Per regnum Iſrael deſignatur Multitudo hæretico-*"*rum, ut Hieron. ad Paulinum obſervat.* Quorſùm igitur "Amplitudinis nota, niſi ad Hæreticos propugnandos? In quo teſtimonio non fit ſimplex, ſed Typica *Comparatio*, ità tamen ut *Paucitas Iudaicæ* partis repræſentet *Paucitatem* fidem veram Profitentium: *Multitudo* partis *Iſraeliticæ* referat multitudinem *Hæreticorum*. Habemus hic Teſtem Ederum, Patronum S. *Hieronymum*, quos Confutator per Mortoni latus vulnerat. Quis non meritò deteſtetur hanc improbitatem?

De statu Ecclesiæ Iudaicæ, tempore adventus Christi.

" APOL. pag. 34. (ex Bellarm.) *Ad Christi*
" *adventum Synagoga Iudæorum non tam defecit,*
" *quàm mutata est.* Imò verò penitus defecit, sivè Con-
" cilium Sacerdotum, sivè etiam populi turbam con-
" sideremus, Primò de ordine Sacerdotali. Advo-
" catus Iansenius, in Matth. 17. [*Mane facto, Concilium*
" *inierunt Omnes:*] *Nimirùm Sacerdotes, Scribæ, Seni-*
" *ores congregati erant in concilium commune contra*
" *Christum.* Bellarm. *Quod videtur prædictum esse*
" *Hier.* 18. *Peribit lex à Sacerdote, & verbum à Prophe-*
" *ta, & Consilium à Sapiente.* Sigonius. *In Ioh.* 9. *Conspi-*
" *raverunt Iudæi, ut si quis confiteretur Christum, extrà*
" *Synagogam fieret:* & Cap. 12. [*Multi ex principibus*
" *crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non profite-*
" *bantur, ut è Synagoga non ejicerentur.*] &c. *Nam probri*
" *loco maximè ducebatur apud Iudæos, siquis Synagogæ*
" *expers factus fuisset.* Denique Iansenius, *Turba populi*
" *clamat, Crucifige:* & Bellarm. *Maxima turba Iudæorum*
" *in hoc Concilio Satanæ Synagoga fuit.* Disputo. Vel illa
" multitudo Sacerdotum, Pharisæorum, Scribarum
" populi, quæ Christum excommunicabat, Ecclesia
" tùm fuit, vel plebs obscura, quæ Christum agnos-
" cebat, & venerabatur: si illa, quî fit, ut Sponsum
" suum Christum hostili animo persequeretur? sin
hoc, quomodò *externus splendor & Multitudo* fuit
propria Nota Ecclesiæ? Videtis enim universalem
illum splendorem usque adeò universali Ecclipsi

obſcuratum, ut non dico provinciam integram, ſed vix Perſonam unam occupaverit. Quid ad hæc Confutator?

CONFUTATOR, p. 189. *Reſpondeo. Primò blaſphemum eſſe dicere, quòd Synagoga tempore Chriſti penitùs defecit, cum certum ſit aliquam ejus partem adhæſiſſe Chriſto, ut B. Virginem, Magdalenam, Apoſtolos, Ioſephum ab Arimathea, bonum Latronem, ac alios fuiſſe, qui aberant à Hieruſalem, & fortè nunquàm audierant de Chriſto. At quomodo dicit Synagogam penitùs defeciſſe, cùm fateatur eam permanſiſſe ſaltem in B. Virgine? & Proteſtantes dicunt, quod una perſona ſuffiebit ad Eccleſiam conſtituendam?* 2° *Ad Argumentum Mortoni dico, quod non illa multitudo Sacerdotum, aut populi quæ Chriſtum excommunicabat, ſeu perſequebatur, fuit vera Eccleſia, ſed illa quæ Chriſtum venerabatur.* REPLICA. Me (quod abſit!) *blaſphemum* fuiſſe liberè fatebor, niſi Confutator aut me liberaverit, aut ſeſe eodem crimine, velit nolit, implicatum dederit.

1° Conſtat ex præmiſſis Pontificiorum ipſorum in Concilio Judaico, *Omnes Sacerdotes, Scribas, Seniores* communibus votis condemnâſſe Chriſtum. 2° Conſpirâſſe, ut quivis Chriſtum confitens *Extra Synagogam fieret.* 3° *Turbam populi* adversùs Chriſtum conclamâſſe, *Crucifige; & Satanæ Synagoga erat.* Hæc erat Synagogæ iſtius externa facies. Opponit Confutator eos, quos dicit *Adhæſiſſe Chriſto*, tanquàm Synagogæ partes, *B. Virginem, Magdalenam, Apoſtolos, Ioſephum ab Arimathea, bonum Latronem, & fortè alios.* Horum alii (ut Apoſtoli, excepto *Iohanne*) etiam cum *Petro* Dominum deſeruerunt, & abdiderunt ſe: & jam multi ex Principibus, qui in Chriſtum crediderunt, non profitebantur, *ne ejicerentur è Synagoga:* reliqui

liqui omnes ab ipsa Synagoga pro Excommunicabilibus habebantur, eò quòd *Confitebantur Christum.* An igitur in his vultus Synagogici Nota ulla publica appareat? Disputo. Omnes illi, quos commemoravit Confutator, aut publicè abhorruerunt à sententia Synagogæ, quâ Christus damnabatur, vel non: si non publicè dissentiebant ab illa, tùm non adhærebant Christo, nempè quoad visibilem professionem, quæ Ecclesiam constituit visibilem (quod de B. Virgine & aliis nonnullis affirmare esset Blasphemia.) Sin publicè contradixerint illi sententiæ Synagogæ, tùm non erant pars visibilis Synagogæ: Nam ex ipsa publicata hujusmodi professione fierent ipso facto ἀποσυνάγωγοι.

Papistas, in asserenda Synagogæ Iudaicæ infallibilitate, verè Blasphemos evadere.

QUàm indigni sint Pontificii plurimi, qui aliis *Blasphemiam* objiciant, nihil potest esse exploratius, quàm quòd nonnulli ex illo loco Iohannis 11. [*Hoc dixit Caiphas non à seipso, sed quod esset Pontifex illius anni:*] indè concludunt, summi Sacerdotis Judaici, & consequentèr summi Pontificis Romani, in judicando infallibilitatem, quià *qui ea proferunt sunt Ecclesiæ Pontifices.* Sic Canus loc. Theol. lib. 5. cap. ult. *Ergò Pontifices nostri non possunt errare.* Sic Theologi Anglo-Rhemenses in Joh. 11. *Igitur miror te, Lutherе, cùm hæc non ignores, tam parum tribuere Pontificis Romani judicio, cum apertissimum sit, Caiphan verum judicium protulisse.* Sic Roffens. Episc. contra assert. Lutheri Verit. 3. Sic & alii. Contra hujusmodi Commentatores Calvinus: *Procul à nobis facessat illa obedientia*

entia, quæ nos ad horribilē Apoſtaſiam filium Dei negando impellat. Hæc ille, Pontificios blaſphemiæ inſimulans. Quod quàm verè dixit, ex eo apertiſſimè conſtet, quià idem *Caiphas* blaſphemam ſententiam, inter alios, in Chriſtum protulit: nam, teſte Bellarmino, Lib. 2. de Conc. cap. 2. *Revera* (inquit) *altera pars ſententiæ Caiphæ blaſphema erat, quia ſequitur in Textu* [*Caiphas dixit Chriſtum blaſphemare.*] Diſcat igitur impoſterùm Confutator, moneo, quid ſit temerè Adverſario ſuo notam *Blaſphemiæ* inurere. Teſtamentum vetus miſſum faciamus.

CONFUTATOR p. 190. *Vbi autem dixit Bernardus, quòd in ſola B. Virgine permanſit fides & Eccleſia per illud triſte Sabbathum? Mortuus cautus homo non ſignavit, quià nuſquam dixit id Bernardus, niſi velit quòd explicita fides Reſurrectionis permanſit in B. Virgine ſola, quod fortè verum eſt, ſed explicita ea fides non fuit neceſſaria ad Eccleſiam conſtituendam in initio ipſius.*

REPLIC. Bernardi verba in Lamentatione B. Virginis Mariæ, hæc ſunt: *In ipſa ſola in triduo fides Eccleſiæ ſtabat, & dum unuſquiſque hæſitabat, hæc quæ fidem concepit, fidem quam à Deo ſuſcepit nunquam perdidit, ſpe certiſſimâ Domini reſurgentis gloriam expectavit.* Satis apertè hæc verba *fidem* illam innuunt, quæ *Eccleſiam conſtituit*: [*In ipſa ſola* (inquit) *fides ſtabat.*] Hoc eſt, in omnibus aliis cecidit & obruta eſt. Neque hoc tantummodò ad Articulum de futura Chriſti *Reſurrectione* reſtringi poteſt, nam dicit Bern. in *ea ſtetiſſe fidem Eccleſiæ*, ſc. univerſalitèr & indefinitè: cuius præcipuum quidem Articulum ſubjungit, *Chriſtum reſurrecturum.* Qui autem defugiebant & deficiebant diſcipuli, non illud tantùm ignorârunt, aut dubitabant, utrùm Dominus eſſet reſurrecturus, ſed

utrùm

utrùm ille, qui civili servitute Judæos non liberabat, nec seipsum à morte corporali, posset esse *Messias* & Salvator, quod ex Responso Discipulorum constat, Luc. 24. 23. Porrò iniquè facit Confutator, quòd ex hoc exemplo infert, me probare velle Christi Ecclesiam post Christi resurrectionem reduci posse ad unam personam; id quod nunquàm mihi in mentem venit, sed ut ostenderem tantùm *Notam Amplitudinis*, aut claræ *Visibilitatis* non fuisse perpetuam: quod Confutator subindicare videtur, quia confugit ad *fidem implicitam*, quæ, cum in mente latet, non oportet reddere Ecclesiam *Conspicuam*.

CAP. XV.

De statu Ecclesiæ novi Testamenti post Christi ascensum.

1° *De statu quæstionis.*

" APolog. pag. 31. Mortonus in Cautione extrema ostendit Protestantes non contradicere Pontificiis, in quæstione de *Omnimoda* " *Perpetuitate Visibilis Ecclesiæ*; sed de *Gloriosa* ejus *Visibilitate*: & p. 34. ubi *Amplitudo* opponitur *Paucitati*, " dixit de Ecclesia Judaica, *Penitus extincta erat ejus* " *Amplitudo*. Et paulò post de eadem Ecclesia addi" dit, eam, quoad eandem *Amplitudinem*, sive *Conspi*" *cuam Visibilitatem, penitus fuisse extinctam*. Et pau" lò post, *Si apud Judæos Ecclesia tùm fuerat plebs obscu*" *ra, quæ Christũ agnoscebat, quomodo externus splendor* " *& multitudo illis fuit perpetua Nota Ecclesiæ? Videtis*

“ *tis igitur Universalem splendorem Ecclipsi obscura-*
“ *tum.* Ibid. p. 35. Objicit Bellarm: *Non sequitur* (in-
“ quit) *à defectione veteris Ecclesiæ ad statum novi Te-*
“ *stamenti, quia Ecclesia Christianorum melioribus*
“ *& firmioribus promissis munita est.* Ad hoc Mor-
“ tonus, *Imò sequitur, nisi Pater antiquus et recens*
“ *Scholasticus deliraverint.*

Confutatoris in Mortonum per integrum suum CAP. XV. *de statu Quæstionis atrox calumnia.*

CONFUTATOR p. 191. *Mortonus capite præcedente asseruit, quod Ecclesia veteris Testamenti tempore Christi* penitùs defecit: *idque conatus est probare eo modo quo vidimus: in hoc Cap. idem insinuat de Ecclesia novi Testamenti, licet id non expressè dicat. In initio autem refert, quòd Stapletonus, Bellarminus, & ferè omnes Catholici dicant*; Non sequitur à defectione veteris Ecclesiæ ad statum novi Testamenti, quià Ecclesia Christianorum melioribus & firmioribus promissis est munita. Imò verò (*inquit Mortonus*) sequitur. *Cum igitur disertè ante dixerit, quòd tempore Christi Ecclesia veteris Testamenti penitùs defecerit.* REPLICA. Fateor me phrasi aliquantulùm rigidiori usum, cum dixerim, *Imò verò sequitur* &c. undè possit, siniſtro saltem sensu, innui me positivè statuisse Defectionem Ecclesiæ Christianæ visibilis universæ esse possibilem. A quâ certè insania longissimè semper abhorrui, adeoque in ipsa

Apologia

Apologia mea ſubindè pono, atque explico *Eccleſiæ Chriſtianæ viſibilis Notam* quandam perpetuam (Apol. p. 425.) id quod Confutatorem, eam diſſimulantem, latere minimè potuit. Scopus autem, quem in illo Cap. XV. mihi propoſui, erat *Analogia* vera & realis inter veterem *Judæorum Eccleſiam* & novam aut præſentem *Chriſtianam*, etiam quoad morbos ipſos, quibus Eccleſiæ corpus ſæpiuſculè infeſtatur, nempè, tàm fidei quàm morum Corruptelas. Quo ſenſu aſſerui, ac etiamnùm aſſero, *Eccleſiam Chriſtianam viſibilem* non minùs quàm *Judaicam Pſeudo-prophetarum* & *Hæreticorum* incurſionibus patere idq; ex mente *Chryſoſtomi*, ſecundùm ipſum argumentandi modum. Aio itaque eos antiquo Patri *delirium* imputare, qui fundamentum hujus *Analogiæ* tollunt. Cum enim ille indè probet Sectas ac hæreſes in Eccleſiam Chriſtianam poſſe irrepere, ac tunc temporis invaluiſſe, quià tempore veteris Teſtamenti fuerunt *plures Pſeudoprophetæ*; ex Bellarmini ſententiâ os erat *Chryſoſtomo* obſtruendum hoc modo. Perversè arguis, bone Pater, ſupponis enim quandam paritatem rationis, nec meminiſti *Eccleſiam Chriſtianam firmioribus promiſſionibus munitam*: adeóque licet illa defectionem paſſa ſit in *Prophetis*, ut *pauci à pluribus*, ut *unus à quadringentis* numero ſuperarentur; hoc tamen in Eccleſia Chriſtiana non eſt datum, nec dabile, ubi ſemper, propter *Promiſſionum firmitatem*, *Amplitudo* ac *Viſibilitas* partis ejuſdem ſimul majoris & melioris. Hujuſmodi hoſtibus, Analogicam hanc Argumentationem repudiantibus, me ex profeſſo oppoſui, cùm ſcriberem, *Imò verò ſequitur*, *&c.* hoc eſt, modus hic argumentandi non caret juſto fundamento Analogiæ. Verba *Chryſoſtomi* habentur Apolog. pag. 35.

Oportet, &c. At cum, fatente Confutatore, *Mortonus non expreſſè dixit Eccleſiam Chriſtianam penitùs deficere*; debuit ille commodum & perneceſſarium ſenſum (de quo dixi) ex illis elicere. Teſtimonium aliud erat Cani.

"APOL. p. 35. Quadringenti Prophetæ Ahab "mentiti ſunt, ex ore ſolius Micheæ, viri contemp- "tibilis, veritas egreſſa eſt. Non igitur numero ſuf- "fragiorum ſententiam (*Exemplum veteris Teſta-* "*menti ad uſum novi accommodat*) metitur: ſa- "pientes pauci ſunt, Stultorum infinitus eſt numerus. CONFVT. p. 194. *Nota, Lector, quid infert Canus, ſc. ſententiam in Conciliis non eſſe metiendam numero ſuffragiorum, & quid inferre debeat Mortonus ſc. ex defectione Eccleſiæ veteris Teſtamenti ſequi defectionem Eccleſiæ novi Teſtamenti.* REPLICA. Et notet, obſecro, Lector Cani argumentum, quod & argumentum & nota eſſe poteſt ſupinitatis noſtri Confutatoris multò conſpectior. Concluſio [*Non igitur*] Cani hæc eſt; *Sententiam Conciliorum non eſſe metiendam numero ſuffragiorum.* Hanc deducit ab exemplo, quod habetur in veteri Teſtamento: *quia veritas eſt egreſſa ab uno Propheta Michæa*, quam oppugnârunt quadringenti *Prophetæ Ahab.* Quod tàm apertum eſt, ut Confutator nauſeabundus Analogicam rationem hanc reſpuat, p. 195. *Viderit Canus quomodò* ex illis *probet ſententiam in Conciliis non eſſe metiendam numero ſuffragiorum.* REPLICA. Diſcat igitur Confutator, quid ſit *probare ex illis*, &c. Quid quod Ederus quoque uſus eſt Typica, ex veteri Teſtamento Relatione, quâ voluit per *decem tribus in regno Iſrael ſignificari multitudinem Hæreticorum*, & per *duas Tribus* in regno *Judæ, paucitatem Fidelium* in Teſtamento novo.

Reſtat

Reſtat ut Romani hominis inſolentiam Pontificis Rom. authoritate comprimamus; eum itaque *Liberio* Papæ caſtigandum amandamus, qui *Conſtantinum* Imp. Arianum Argumento (ut Confutatoris ſtylo utar) *Proteſtantico* confutavit: nam exprobranti Imperatori Orthodoxorum in Chriſti Eccleſia *Paucitatem*, argumentum ſumens ex veteri Teſtamento, reſpondit; *Non referre numerum eſſe magnum, aut parvum: nam Indæorum Eccleſia, in Babylone conſtituta, ad tres pueros erat redacta.* Viden', Confutator Papiſta, Papam tuum *Liberium?* is nè tibi dignus videtur, in quem virus acerbitatis tuæ diffundas; utpote qui *Blaſphemus* audiat æquè ac Mortonus tuus? Cave tibi nè hinc fias Impapabilis. (Sed de Liberio infrà.) faxis igitur ut in tuam, non in Mortoni gratiam tandem palinodiam canas. Deniq; quæſtio hæc, de *Conſpicua Eccleſiæ Amplitudine*, per tres ejuſdem ætates examinanda venit, Infantiam, Adoleſcentiam, & ipſam Senectutem.

De *Statu Eccleſiæ Chriſti in Incunabulis.*

"APOL. p. 35. Bellarminus. *Scimus quòd in initio Eccleſiæ pauciores erant Chriſtiani, quam adverſarii Indæi.* De infantia igitur res eſt in confeſſo apud "omnes: ætatem adultam contemplemur. CONFVT. pag. 196. *Nè loquaris nunc de paucitate Eccleſiæ in infantia ſua, quæ verè eſt in confeſſo apud omnes: Hoc enim eſt actum agere, ſed de ejus defectione.* REPLICA. Parebo lubens, ſed eâ lege, ut agnoſcas duntaxat

at me contra Notam Conſpicuæ Amplitudinis diſſeruiſſe.

De Adoleſcentia Eccleſiæ Chriſtianæ.

cc APOL. p. 36. Bellarminus. *Objiciunt nobis Pro-*
cc *teſtantes* (inquit) *illud Hilarii contra Auxentium*
cc *Arianum : Malè*, inquit, *vos parietum amor coepit,*
cc *malè Eccleſiam Chriſti in tectis ædificiiſque veneramini : montes mihi & lacus & carceres tutiores. Re-*
cc *ſpondeo, Hilarius loquitur tantùm de Eccleſia Medio-*
cc *lanenſi : hoc autem quod de una Baſilica dicitur, non debet trahi ad Eccleſiam univerſam.* CONFVT. p. 197. *Atqui Mortonus, cum ſit homo cautus, & parùm ſyncerus, diſſimulat primam reſponſionem, quam Bellarminus dat his verbis Hilarii, nempe*; Ad Hilarium dico, primò id quod reſpondit olim Auguſtinus epiſt. 48. Donatiſtis idem Argumentum objicientibus : Eccleſiam quidem interdùm obſcurari multitudine ſcandalorum, ſed ità tamen ut etiam tunc in firmiſſimis emineat, ſicut reverà eo tempore, de quo loquitur Hilarius, eminebat Eccleſia in Iulio, Athanaſio, Hilario, &c. *Hanc reſponſionem diſſimulare, & ſecundum tantùm impugnare, quid eſt aliud quàm reipſâ fateri eam non poſſe impugnari?* REPLICA. An igitur Mortonus parum *Syncerus?* atque adeò *diſſimulator*? quia diſſimulans primam reſponſionem Bellarmini? quam nimirùm habuit Epiſt. 48. ad Vincentium. Hæc fuit Confutatoris in Mortonum vehementiornè dicam, & virulentior, vel (ut mitiùs loquar) vinolentior Accuſatio. Quòdſi enim jam conſtet Mortonum in eodem Capite Apologiæ, quo de nunc agitur, Bellarmini *priorem reſponſionem* diſertè poſuiſſe, *Auguſtini Epiſt.* 48. deſignâſſe, verbaque ipſiſſima,

ipsissima, quæ nunc à Confutatore citantur & objiciuntur, expresè priùs allegâsse, quis non suspicetur Calumniatorem hunc prostituisse quasi animam suam ad mentiendum? Intereà orandi sunt Academici, ut inter nos se æquos Arbitros præbeant. Testis esto Liber meus; si contrà me, certè erit mihi omni exceptione major.

" APOLOG. p. 37. Bellarminus objicit dicens; " *Illud testimonium Hilarii fuit à Vincentio Donatista* " *Augustino objectum.* Si igitur vobis minùs arridet " dictum Hilarii, at Augustini responsum vobis sal- " tem satisfaciat: nam Advocatus *Divus Augustinus* " *sic scribit, Epist. 48. ad Vincent. Ipsa est Ecclesia quæ* " *aliquando obscuratur, & tanquam obnubilatur multi-* " *tudine scandalorum &c. sed tamen in suis firmissimis* " *eminet.* Hæc *Augustinus*, teste Valentiano Iesuita. Sic enim Augustinus, qui in eadem Epistola, inter *Scandala, Hæreses* numerat; ex loco Apostoli, [*Opera carnis hæc sunt, Fornicatio, Dissentiones, Hæreses.*] Deinde de iis, quos vocat *Firmissimos*, testatur dicens; *Quidam eorum pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant.* Post reverà dicit, *Hilarium de decem Provinciis esse locutum*; nec in Hilarii verbis acquiescit. De unica *Basilica Mediolanēsi* quod objiciunt, non verisimile est, quià *Hilarius* (ut est apud Aug.) *locutus est de decem Provinciis.* Pro expositione Hilarii, adduxi Valentianum Iesuitam Apol. p. 36. Ubi dicit Jesuita, *Ecclesiā tempore Arianorum Imperitis cognitu difficilem fuisse.* Ego errore verbi (*videbatur latere*) emendato, illud verè possum colligere, saltem quod deerat Ecclesiæ tunc Nota *Conspicuæ visibilitatis*: eoque magis, quià dixit Valentianus, ex Hieronymo, *Eam hæresin in toto penè* " *orbe dominatum fuisse.* Apol. ibid. pag. 36. *Hilarius*

pluribus

" *pluribus monuit verbis, contra Auxentium, non fuiſſe*
" *Eccleſiam tunc temporis in tectis & exteriori pom-*
" *pâ quærendam, ſed potius in carceribus & ſpelun-*
" *cis. Non igitur negamus quin fuerit Eccleſia alio atque*
" *alio tempore difficilius dignoſcere.* Ubi *difficultate dig-*
noſcendi Nota *Amplitudinis conſpicuæ* labefactatur.

" Apol. p. 36. Bellarm. *Deinde* (Proteſtantes) *Hie-*
" *ronymum opponunt in Dialogo contra Luciferianos, de*
" *eodem tempore Eccleſiæ loquentem: Ingemuit, inquit*
" *totus orbis, & ſe Arianum eſſe miratus eſt. Reſpondeo,*
" (inquit Bellar.) *Hieronymus in una ſententia duabus*
" *utitur figuris, & eos impropriè taxat, qui ſine dubio non*
" *erant Hæretici.* Sic ille, (&, ex eodem, Confutator p. 201) qui, nè Proteſtantes *Hieronymum* idoneum Patronum ſibi vendicent, maluit ei ſanctiſſimo & doctiſſimo Patri pudendam temeritatem imputare: & quid à Charitate magis alienum quàm eos (licet *impropriè*) ut *Hæreticos taxare*, qui (ſic enim Bellarminus) *ſine dubio non erant Hæretici*? Sed miſſo facto hoc rigido & iniquo Cenſore, æquanimem alium nempè Greg. Valentianum intromittendum duximus. " Apol. p. 36. Novimus (*inquit*) Eccleſiam iis
" aliquandò errorum, ſchiſmatum, perſecutionum
" fluctibus eſſe agitatam, ut imperitis quidem, nec
" ſatis rationes temporum, rerumque circumſtan-
" tias æſtimãtibus, cognitu fuerit difficilis, quod tum
" maximè accidit, cum Arianorum hæreſis in orbe
" pene toto dominabatur: nam eo tempore ſcripſit
" Hieronymus contra Luciferianos, *Eccleſiæ navem eo*
" *tempore penè obrutam fuiſſe*: & Hilarius pluribus
" monuit verbis, *non fuiſſe Eccleſiam tunc temporis in*
" *tectis & exteriori forma quærendam, ſed potiùs in car-*

ceribus

« *ceribus & ſpeluncis.* Non igitur negamus quin fue-
« rit Eccleſiam alio atq; alio tempore difficilius dig-
« noſcere.

CONFUTATOR. p. 199. *At ubi ait Valentianus, quòd verba ſuprà citata, ex Hilario contra Auxentium, Hilarius dixerit de Eccleſia univerſa? ait quidem Valentianus, quòd ea dixerat eo tempore, quo Hæreſis Ariana toto penè orbe dominabatur: at quòd ea dixerit de toto orbe, & non tantùm de Eccleſiâ Mediolanenſi, in qua dominabatur Auxentius, Valentianus non dicit.*

REPLIC. Reſpondendum tibi fuit ad teſtimonium Hieronymi, *Ingemuit totus orbis, & ſe Arianum eſſe miratus eſt.* Ad quæ verba Hieronymi, pro nobis, reſpondet Valentianus dicens, *Hilarium tunc dixiſſe, cum Arianorum hæreſis penè in toto orbe dominabatur:* Et, *Eccleſiæ nomen penè tunc obrutum fuiſſe.* Hæc Sophiſta noſter adaptat ad *Hilarium*, quem dicit tantùm de *Mediolanenſi Eccleſiâ* loqui: cùm tamen ſunt verba Hieronymi, qui non de una tantùm *Baſilica*, aut de *decẽ Provinciis* loquitur, ſed de *Hæreſi*, quæ in *toto penè orbe dominabatur:* ut *miraretur* penè *totus orbis ſe eſſe Arianum: cum navis Eccleſiæ* (loquitur de Eccleſia in genere) *penè obruebatur.* Confutator (p. 201) Bellarmini ſub reſponſo, ad Hieronymum, tanquàm ſub Ajacis clypeo deliteſcit, quam Confutator negat me *impugnaſſe*; ſed falſo, qui contra Hieronymum, quem ut Adverſarium propoſuit, oppoſui Valentianum Ieſ. quem indigitabã *Advocatum meum.* Apol. p. 36. Pergit tamen CONFUT. ingeminare mendacia ſua, p. 202. *Hanc, inquam, Reſponſionem non impugnat, prout non retulit primam Bellarmini reſponſionem.* REPLICA. Retorqueo; tùm hanc *primam reſponſionem retuli* (ut ſuprà eſt demonſtratum) tum etiam

istam alteram ex Valentiano *impugnavi*.

" APOL. p. 37. Post hæc Mortonus addit, quòd " *Athanasius Liberium Papam Arianismi liberè accusat,* " *quia sc. ad Solitarios scribit, quòd Liberius Papa minis* " *mortis inflexus est ad subscriptionem hæresis.* Et Co- " sterus in Enchirid. quòd *Ariana hæresis Romanum* " *ferè orbem pervagabatur.* Et Castro lib. 5. Hæres. " Tit. Deus, quòd *Ariana hæresis ab ortu Solis, & me-* " *ridie, viz. ab Ægypto veniens per Græciam transivit in* " *Aquilonem: & inde Gothi egressi totum ferè Orientem* " *infecerunt. Duravit autem hæc hæresis per 300 Annos.* " Et Lindanus Panop. l. 2. c. 6. *Omnes penè toto orbe* " *Ecclesias Arianorum consortio pollutas fuisse.* CONFUTATOR, pag. 202. *At quorsùm hæc, quæso, ubi agitur de defectione Ecclesiæ, & contenditur probari, quòd sicut Synagoga penitùs defecit, ità Ecclesia novi Testamenti potest deficere? An quià Liberius subscripsit Hæresi, Ariana hæresis totum penè orbem pervagata est? Ergò vera Ecclesia penitùs defecit?* REPLICA. Nisi hic Confutator perfricuisset frontem, non toties mihi objecisset hunc Coccysmum suum, quasi docuerim unquàm, aut pro statu quæstionis posuerim, Ecclesiam visibilem penitùs defecisse, cum hoc mihi nunquàm in mentem venerit, ne per somnium quidem. Tantùm dixi, notas has *Amplitudinē & Conspicuitatem* sæpè extinctas fuisse penitus, quod nimis verum esse, Testimonia hæc luculenter demonstrant. Imò etiam Confutator verbis immediatè sequentibus (ea est vis veritatis) propemodùm confitetur. CONFUTATOR, p. 203. *Deindè etsi hæresis aliqua potest esse ad tempus ampla, & fortè quæ diffusa, ac est Catholica Ecclesia, tamen ejus amplitudo non est diuturna & cōstans, prout est amplitudo Ecclesiæ Catholicæ.* REPLICA. Cum

jam

jam ſuperiores Teſtes per Annos trecentos defectionem ampliſſimam, per *hæreſin Arianam*, non modò communibus ſuis ſuffragiis expreſſiſſimè conteſtati ſunt, verum etiam altis ſuſpiriis deplorârunt, tamen ignaviſſimus Tergiverſator hîc duas latebras quærit, unam in [*Etſi*] & alteram in [*Fortè:*] ſapiens animal ut mus (juxta Comicum) qui uni foramini vitam nunquam committit ſuam.

"APOL. p. 38. Extat teſtimonium Lindani. *A-*
"*rianiſmus* (inquit) *totas Orientis Eccleſias, Antioche-*
"*nam, Alexandrinam, Conſtantinopolitanam, Hieroſoly-*
"*mitanam, expulſis Orthodoxis, occupat: atque in occi-*
"*dente, ejecto in exilium Liberio, Felicem in Romanam*
"*ſedem ſubſtituit.* Hoc teſtimonium à Confutatore (de more ſuo) prætermiſſum eſſe nemo mirabitur; quo poſito, citius quis ex pumice aquam extrahat, quàm in tanto tamque penè univerſali Arianiſmi diluvio Catholiciſmi Amplitudinem conſpicuam intueri.

CAP. XVI.

De Senili ætate Eccleſiæ Chriſtianæ, quoad Viſibilitatem ejus.

CVm tota noſtra diſputatio ſit de *Amplitudine*, ſeu *Multitudine conſpicua* ipſius Eccleſiæ Catholicæ, miſſa faciemus Adverſariorum noſtrorum inter ſe diſſidia ac Repugnantias, & in eorum genuinis Confeſſionibus inſiſtemus.

"APOL. p.39. Theologorum Collegium Anglo-"Rhemense, *Verisimile est*, (inquiunt) *hanc ingen-*"*tem Apostasiam futuram esse non modò ab Imperio Ro-*"*mano, verum etiam ab Ecclesia Romana, cujus status, et*"*omnis cum ea communicatio externa cessabit, quanquàm*"*cordium communio non deficiet.* Hi etiam generalem "defectionem publicam, etiam à fide, agnoscunt: in "qua Assertione si unicam voculam [*Romanam*] ex-"punxeris, Protestantibus palàm astipulantur. Et "rursùs. *Quemadmodum* (inquiunt) *Ecclesia nostra Ro-*"*mana hodierno die in Anglia se habet, ubi nullum regi-*"*men publicum obtinet, nulla officia sacra publicè exercet,*"*dici potest in solitudinem abjisse, quanquàm nec fidelibus*"*eam sequentibus, nec hostibus eam persequentibus ignota.*"*Ita tempore Antichristi futura est.* En genuinam "Protestantium defensionem, qui Ecclesiam fideli-"bus notam esse semper dicunt, sed tamen non *Om-*"*nibus*, nec sanè *hostibus*: quomodò enim Persecuto-"ribus conspicua erit, quæ ne nota sit, in Cavernis & cryptis se abscondit? CONFUTATOR. p.207. 208. *At quomodò agnoscunt generalem defectionem in fide, cum agnoscunt communionem in corde non defectu-ram, quæ non potest esse sine fide?* REPLICA. Annon Confutator hic noster *prodit & perdit causam suam*, cùm contra Pontificios asseritur Ecclesia prædestinatorum invisibilis? Respondent ac oggerunt, *Corde credere* non esse satis, nisi & in externam professionem erumpat fides; ex qua professione Ecclesia necessariò fit visibilis & conspicua. Esto; concedamus: at hîc, cùm allegantur ipsi Pontificii, de obscuro Ecclesiæ statu sub Antichristo loquentes, subterfugit iste pugil, ac se subducit à *Visibilium ac Conspicuorum* vexillo; nec eum pudet in angulo latitantem mussi-

tare

tare *Abditam* in corde *fidem, Communionem* cordium *indefectibilem.* Hoc profectò nil aliud est, quàm in castra nostra convolare. Deinde, CONFUTATOR. p. 208. *Etsi dicunt cessaturam externam communionem cum Ecclesia Romana, non tamen dicunt cessaturam externam communionem cum ipsa.* REPLIC. Argutè scilicet, cùm Quæstio postulat ut Confutator *Externam Ecclesiæ Amplitudinem* cùm *Conspicua visibilitate* defendat. At Anglo-Rhemenses, acsi Confutatoris Commentationem fictitiam ac ludicram esse crederent, negant intercedere inter Christianos *Communicationem*, sed tantùm *Communionem* per *fidem:* quâ, si Amplitudinis notam spectemus, nihil arctius; sin notam Conspicuitatis, nihil invisibilius esse potest. Apol. p. 40. Pererius Iesuita: *Tempore Antichristi Sacramentum non erit in locis publicis nec publicus ei honor adhibebitur: sed privatim et occultè servabitur et honorabitur à Christianis.* CONFV. p. 220. *Quæso memineris, Lector, quid susceperit probandum, &c.* Tempore Antichristi futuram generalem Apostasiam à fide ferè omnium Christianorum: *Et considera, an* Hoc agat, *an ullum ex his testimoniis allatis loquatur de generali Apostasia omnium ferè Christianorum. Dicit quidem Ribera, omnes tempore Antichristi defecturos ab Ecclesia, præter solos prædestinatos, at non dicit,* ferè omnes Christianos defecturos. REPLIC. *Memorem* ego Lectorem ardentiùs optarem, ità tamen ut non oblitus sit ille, *Omnes ferè defecturos:* nempe quod spectat ad *Conspicuam Amplitudinem*, in quibus duabus Pontificii duas complectuntur perpetuas Notas Ecclesiæ. Pro eadem obscuritate facit illud Acostæ Jes. APOL. p. 40. *Tempore Antichristi omnis Ecclesiastici ordinis splendor et decus exolitum, et sepultum jacet.*

"*jacet: Sacerdotes gementes, portæ deſtructæ, Altaria* "*deſerta, ſacræ ædes vacuæ, quòd non ſint qui venient* "*ad Agni ſolemnitatem.* Idem. *Eccleſiarum ædes ſacræ di-* "*rutæ, Liturgia extincta, Pſalmorum cantatio nulla erit.* Vah quàm horrida iſthæc Eclipſis! Porrò ex Ribera Apolog. p. 40. In Apoc. 13. 3. [*Admirata eſt tota terra* "*beſtiam:* & verſ. 7. *Data eſt ei poteſtas ſuper omnem* "*tribum, populum, linguam, gentem: et adoraverunt eam* "*omnes gentes, quorum nomina non ſunt ſcripta libro* "*vitæ.*] Quibus verbis docet innumerabilem mul- "titudinem eorum, qui Antichriſto adhærebunt, ni- "mirum omnes præter prædeſtinatos, ii enim ſunt, "quorum nomina inſcripta ſunt in Libro vitæ.

CONFUT. p. 211. *At non dicit fere omnes Chriſtianos defecturos.* REPLIC. Quod ne Ribera dixiſſe videatur, Confutator delumbat ſententiam, & more ſuo diſſimulat. Sequitur enim APOL. p. 40. "(quo ſuprà.) Etiam Apoc. 12. 4. [*Et cauda ejus* "*trahet tertiam partem ſtellarum*, &c.] *Hoc manife-* "*ſtiſſimè dicitur de tempore Antichriſti, in quo diabo-* "*lus ità erit potens, ut Plurimos ex viris Sanctis ſupera-* "*turus ſit, et ſecum ducturus tracturuſq; [in terram:]* "*id eſt, à cœleſti vita ad terreſtrem et turpibus voluptа-* "*tibus deditam: nam eos vocat Stellas, quià in cœlo quaſi* "*fixi videbantur, et ex alto virtutum vertice lumen aliis* "*præbere.* Verſ. 6. [*Fugiet mulier in ſolitudinem.*] *Id* "*eſt, propter perſecutionem Magna pars fidelium fugiet.* Apoc. 12. 6. Audin'? *Mulier*, per quam intelligitur tota Chriſti Eccleſia, *fugiet in ſolitudinem.* Cedo nobis, amabò, cum *omnes Gentes*, præter *Prædeſtinatos*, *Beſtiam*, id eſt, *Antichriſtum* ſequentur, ubi gentium *Amplitudo* veſtra exiſtet? Cúmque Eccleſia ipſa *ſolitudine* abdita erit, ubi ſplendor, & conſpicua ejus viſi-

visibilitas apparebit ? His quoque Aquinas succinit, APOLOG. p. 41. Apoc. 9. [*Cecidit Stella magna, cui est data clavis abyssi, quo puteo aperto, ascendit fumus fornacis magni, quo obscuratus est sol, & aer, à fumo putei.*] Per Solem Doctores; per aerem Ecclesia longè lateque dispersa significatur, quæ lumen à pastoribus mutuatur: Hæc obscurata est. En *Aerem*, id est, *Ecclesiam, longè lateque dispersam, obscuratam*! quid dici clariùs potuit pro *obscuritate Ecclesiæ?*

Ad hæc singula Testimonia, ad causam tàm apposita, tamque Adversariis nostris opposita & repugnantia, Confutator sese planè piscem præbuit; tantùm in Mortonum peracerbè invehitur. Quid rei est? Testimonium quoddam Bellarmini citatur non rectè: *Scientèr* hoc & de industria factum esse, Lectori insinuat; cum tamen facile esset conjicere id quod nunc bonâ fide assero; Testimonium illud, ex notis promiscuè positis, propter συμφωνίαν quam habuit cum aliis Pontificiorum testimoniis, fortuito subrepsisse in locum non suum. Hoc primum ipsa (inquam) Testimoniorum collatio testari poterit. Bellarmini verba de Ecclesia Triumphante, hæc sunt: *Tunc cessabunt preces, oblationes, Sacramentum:* quibus Pontificiorum aliorumque dicta, de Ecclesia Militante, quoad literam consona fuere, ut Pererii Jes. *Sacramentum non erit in locis publicis:* & Acostæ Jes. *Liturgia extincta erit, nulla Psalmorum cantatio:* & Anglo-Rhemensium Theologorum, *Omnis cùm Ecclesia Rom. communicatio externa cessabit:* quibus nihil cōtra *Amplitudinem conspicuam* dici potuit aptius, planius, aut accuratius. Sed ipsius Confutatoris δευτέρας φροντίδας minimè defugerem, qui me nimis *Cautum* sæpè notavit: quod si sciens errâssem, næ ego omni-

omnium *Incautiſſimus* ac deſipientiſſimus eſſem, quod Bellarminiani teſtimonii Librum, Caput, imò, & ipſum paragraphum expreſsè deſignavi, quibus Adverſarii mei errorem ipſum qualemqualem faciliùs deprehenderent? quanquam nollem Confutatorem me pede ſuo metiri. Objectiones & ſolutiones in Apologia, pag. 41. quas tunc non neceſſarias eſſe duxi, ſupervacaneum eſſet nunc repetere: ea etiam quæ de *Lutheri*, & aliorum Proteſtantium deceſſione ab Eccleſia Rom. dici poſſint, ſi quis cognoſcere cupiat, inſpiciat (ſi placet) Librum inſcriptum, *Eccleſiæ Rom. Grandis Impoſtura*, ubi quæſtio illa fuſius diſcutitur.

Hujus vocis [Catholica] *per Ænæam Sylvium explicatio, à Confutatore exploſa.*

" APOLOG. p. 42. ex Ænæa Sylvio. [*Fides Catholica.*] *Hæc vox Græca* [*Catholica*] *ſonat* " *Latinè quod Vniverſalis: quæ tamen non ſic dicitur,* " *quòd Vniverſi eam teneant, ſed quod eam habere tenen-* " *tur: nec enim fides noſtra deſinit eſſe Catholica, quòd* " *quàm plurimi eidem adverſantur. Quid enim,* inquit, " *Apoſtolus, Rom. 3. Si quidam eorum non crediderunt,* " *num eorum infidelitas fidem Dei evacuabit?* Sic ille, Hujus teſtimonium eſt Luce meridianâ clarius, cujus ſplendor Confutatoris oculos præſtrinxit. Attendant Academici, oro, perpendantque ejus Reſponſum. CONFUTATOR, p. 215. *Quoad Ænæam Sylvium, primò dico quòd ipſe revocavit omnia ſua ſcripta, quæ ullo modo adverſantur Catholicæ* (ſc. *Romanæ*) *Eccleſiæ.* REPLIC. Hem, *Sylvius* hodiè Hæreticus, cras Papa factus, purus putus Catholicus, & Catholicæ Eccleſiæ Caput atque Oraculum evaſit illicò

licò. Cathedra quid facit? Mirum, nisi quòd non novum: nec enim desunt Pontificii Historici, qui Papas commemorant insigniter perjuros, qui mox antè Papatum sanctè jurantes, priusquàm eligerentur, observaturos se Conditiones propositas, adepto Papatu protinus falsârunt fidem. Romana Cathedra igitur, numquid non pestilentiæ? alioquin quorsùm illa Espencæi vestri tàm vehemens exclamatio, cùm aliqua ei rubri pilei spes affulgeret. *Quid Romæ faciam?* (inquit) *mentiri nescio.* Secunda Responsio CONFVTATORIS, p. 215. *Si per fidem* Universalem *intelligit eam, quæ diffunditur per universum mundum, Etymologiam ejus admittimus: sin aliter, præferimus etymologiam datam à Patribus Græcis & Latinis, & suprà relatam.* REPLIC. *Si per fidem universalem intelligat* (inquit;) quasi de eo ambigendum esset, quod ab Authore disertis verbis exprimitur, viz. *Universalem, quam universi habere tenentur.* Igitur illud [*Si*] erat Confutatoris quasi Sibbolet Ephraimitica. Deinde præfert Confutator, *Datam à Patribus Græcis & Latinis*: Esto verò, sed non in Patrum Græcorum Latinorumvè sensu. Exempli causâ. In *Bulla Pii Quarti forma Symboli Rom.* exhibetur, cujus Articulus supremus est, *Romano Pontifici obedientiam vovere, sine qua fide nemo salvus esse potest.* Cui Articulo, seu potiùs Impostura, Patres tùm Græci, tùm Latini non dictis modò, sed etiam factis restiterunt. Quo sensu Patrum istorum Etymologia Catholicismo Papistico penitùs adversabatur. Hunc nodum solvat Confutator, & rosam illi porrigam.

Bellarmini ingenua Confessio, quâ Papistica definitio Ecclesiæ Catholicæ planè subvertitur.

" APOLOG. p. 43. Verba Bellarmini hæc
" sunt: *Quòd si sola una Provincia retinet veram*
" *fidem, adhuc verè & propriè diceretur Catholica,*
" *dummodò clarè ostenderetur eam esse veram & eandem*
" *cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diversis tempori-*
" *bus in toto mundo: quemadmodum nunc quælibet Dioe-*
" *cesis dicitur Catholica, quæ est continuata cum aliis, quæ*
" *faciunt unam veram Catholicam.* CONFVT. pag. 216. *Bellarminus autem loco citato non vult quòd una Provincia dici possit Catholica ad eum modum, quo totalis Ecclesia dicitur Catholica, seu à sua diffusione per orbem, sed* (*ut inquit*) Quemadmodum quælibet Diœcesis dicitur Catholica, quià est continuata cum aliis, quæ faciunt unam Ecclesiam Catholicam. *Quod est dicere, diceretur Catholica à sua communione cum Ecclesia Catholica diffusâ per orbem.* REPLIC. Perperam & μεταβάσεως omninò; nam si intelligeret Provinciam unam, quæ necessariò jam continuata est cùm aliis provinciis Catholicis, eandem fidem habentibus, non dixisset; *Quòd si sola una Provincia retinet veram fidem.* Sola ea non est, quæ continuatur cùm aliis. Huic accedit, quòd loquitur de *de una sola Provincia Catholica, quæ conjungitur fide cum aliis Ecclesiis Catholicis, Tempore vel temporibus diversis eandem fidem profitentibus.* Iam verò magnam paucitatem Ecclesiæ eam esse oportet, quæ intrà unius tantùm Provinciæ terminos compingitur. Id igitur vult Cardinalis

dinalis, quòd Diœcesis una dicitur Catholica, quæ in eadem fide nunc continuata est cùm Ecclesiis aliis Catholicis: ità una sola Provincia, si eandem fidem profiteatur, quæ vel uno, vel diversis retrò seculis eandem fidem tenebat, erit, quamvis sola, Catholica. Quo uno testimonio Confutatoris definitio Catholicæ Ecclesiæ funditùs evertitur: definitio enim ejus hæc fuit, CONFUT. p. 142. *Respondeo, Ecclesiam Catholicam dici, non quia continet doctrinam communem omnibus, neque quia continet omnes alias Ecclesias in se, sed quia est diffusa per totum orbem.* Et rursus, pag. 143. *Catholica dicitur, quia diffunditur per totum orbem.* Benè habet, Confutator nullam agoscit *Catholicam*, nisi *diffusam per totum orbem.* Bellarminus admittit *unam solam Provinciam Catholicam*, modò eandem fidem retineat cùm Ecclesia, quæ ullo tempore diffusa erat *per totum orbem.* Hæc ex Diametro repugnant; nec enim *una Provincia*, quæ sola *Catholica* est, per *totum orbem diffunditur:* Africa non per Europam transit, nec Eboracensis Provincia diffundit se per totam Angliam.

Nonnullæ antiquorum Patrum Sententiæ, de Paucitate & Obscuritate Ecclesiæ.

"APOLOG. p. 43. August. epist. 80. *Ecclesia*
"*est sol, & luna, & Stellæ: quandò sol obscurabi-*
"*tur, luna non dabit lucem suam, Stellæ cadent de cœlo,*
"*Ecclesia non apparebit, Impiis tunc eam persequentibus*
"*ultrà modum.* Ambros. *Sicut luna ortus suos et de-*

 "*fectus,*

"*fectus habet frequentes: ſic Eccleſia, quæ à Chriſto lu-*
"*men ſuum mutuatur.* Denique (ut in hac Nota no-
"temus Hæreticam quandam jactantiam, ex The-
"odoret. Hiſt.) *Imperator Conſtantius ſic cùm Liberio*
"*Epiſcopo Rom. diſputabat, contra Athanaſium: Hoc*
"*orbis terrarum* (inquit) *comprobavit, quota tu pars es*
"*orbis terrarum, qui pacem orbis diſſolvis?* Ecquid con-
"trà Arianos *Liberius* reſpondere potuit, ut non idem
"Reſponſum *Luthero*, de Eccleſiæ Amplitudine, con-
"veniret? nimirum cùm Iuſtino Mart. *Quæſtiò eſt,*
"*qui fit, ut Orthodoxi non ſint aliis pares? reſpondeo,*
"*dictum eſt de Orthodoxorum numero,* [*Fauci electi*: &,
"*Anguſta porta.*] CONFVT. p. 216, 217. *Hic Mor-*
tonus finem facit, quia reliqua Auguſtini verba clarè o-
ſtendunt, quòd ipſe non ait totalem Eccleſiam non appa-
rituram, ſed animalem tantum ejus partem: nam ſubdit;
Tunc ſtellæ cadent de cœlo, virtutes cœlorum com-
movebuntur, quià multi, qui gratiâ fulgere vide-
bantur, perſequentibus cedent & cadent, & quidam
fideles firmiſſimi turbabuntur. *En ut non omnes ca-*
dent, ſed firmiſſimi perſiſtent.—*Vnde etiam idem Aug.*
epiſt. 48. Ipſa eſt, quæ aliquandò obſcuratur, & tan-
quàm obnubilatur multitudine ſcandalorum, ſed
tunc ſuis firmiſſimis eminet. *Et addit, quòd* Eccleſia
comparatur Stellis, pauciores, firmiores, & clariores
intelligendo: & per Arenas multitudinem infirmo-
rum.—*En Eccleſia, quæ obſcuratur aliquando, & non*
apparet, partialis ſc. infirmorum atque carnalium. REPL.
Per *Eccleſiam*, apud Auguſtinum, intelligi *Tantùm A-*
nimalem, ſeu *carnalem partem* ejus, nunquàm evinces:
Nam in loco primo, poſtquàm vocâſſet *Eccleſiam*
ſpecioſam, ut eſt Luna, & electum, ut eſt ſol, ſubindè in-
fert de eâdem Eccleſia: *Veritas Chriſti adimplenda*
eſt,

eſt, ſol obſcurabitur, et luna non dabit lumen ſuum. De eadem, inquam, viſibili Eccleſia, quæ quàm non conſpicua aliquandò futura ſit, explicavit: *Eccleſia non apparebit, impiis tunc perſequentibus, & ultra modum ſævientibus.* Nihil obſtat quòd dicitur ea *eminere in firmiſſimis ſuis*, nam tollebat *Eminentiam firmatis in fide* fuga Apoſtolorum ex una civitate in aliam, ex Chriſti præſcripto. Firmi igitur eſſe poſſunt tùm in *Paucitate*, tum etiàm in *Solitudine*: ut cum hæc *Mulier*, Eccleſia, dicitur *Abire in Solitudinem.* (De quo ſuprà.) Ambroſiani teſtimonii eadem eſt Ratio: tamen. CONFVT. p. 218. reſpondet, *Non intelligi totalem Eccleſiæ occaſum.* REPLICA. Quod non eſt reſpondere, ſed garrire, nunquam enim docuimus fore, *Totalem Eccleſiæ occaſum.* De *Iuſtini* teſtimonio rectè ſentit Cōfutator, eſſe ibi *Comparationem* inter *Paucitatem Judæorum, Græcorum, & Hæreticorum* ſimul. Quod non impedit quin etiam Orthodoxi numero & nota publica *Hæreticis* ipſis inferiores fuerint. Annon? Concluſio noſtra expediet.

Concluſio ex teſtimonio Liberii Pontificis Rom. cùm Orthodoxorum partes tuebatur contra Arianos

COncluſionem ſuam CONFVTATOR ſatis luculenter expreſſit pag. 120. *Quæritur tantùm annon ſint plures Catholici, quàm ulli cujuſvis ſectæ Hæretici.* REPLICA. Et ego commonſtravi *Hæreſin Arianam* numero & ſplendore longè multùmque ſuperantem. De qua, præter *Hieronymum*, (qui dixit, *Ingemuiſſe totum orbem ſe factum eſſe Arianum*) Pontificii

Doctores, Coſterus Jeſ. & Alphonſus de Caſtro (reſpectivè) dicunt, *Arianam hæreſin penè totum orbem peragrâſſe, ab ortu ſolis et meridie per totum ferè occidentem, et durâſſe trecentos annos, et fortè amplius.* Quibus adjunxi Lindanum ibid. *D. Hieronymus* (inquit) *in Chronicis ex Euſebio memoriæ proditum reliquit, Omnes penè in toto orbe Eccleſias Arianâ hæreſi pollutas fuiſſe.* Rurſus. *Arianiſmus totas Orientis Eccleſias Antiochenam, Alexandrinam, Conſtantinopolitanam, expulſis Orthodoxis, occupâſſe, atque rejecto in exilium Liberio, Felicem in Romanam ſedem ſubſtituiſſe.* (De his Apolog. p. 38.)

Tandem ad Liberium Pont. Rom. (ex Theodoreto) confugimus. APOL. p. 43. *Imperator Conſtantius ſic cum Liberio Epiſcopo Rom. diſputabat contrà Athanaſium: Hoc orbis terrarum* (inquit) *comprobavit, quota tu pars es orbis terrarum, qui pacem orbis diſſolvis?* Ecquid contra Arianos *Liberius* reſpondere potuit, ut non idem Reſponſum *Lutbero*, de Eccleſiæ Amplitudine, conveniret? Ad hoc CONFVT. p. 218. *Reſpondeo, potuiſſe Liberium verè reſpondere, Eccleſiam ſuam diffundi per orbem: poterat etiam negare quòd Ariana hæreſis diffundebatur per orbem terrarum: nam ſuprà vidimus, quòd Epiſcopi Germaniæ, Galliæ, & Britanniæ permanebant Catholici: et Athanaſ. apud Theodoretum lib. 4. c. 3. ait quòd* Catholicæ Eccleſiæ aſſentiuntur omnes ubique Eccleſiæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, *&c.* REPL. Confutator dolo peſſimo nobiſcum agit. *Poterat Liberius*, inquit, *negare, quòd Ariana hæreſis diffundebatur per totum orbem: nàm Epiſcopi Galliæ, & aliarum nationum permanebant Catholici.* Vbi Confutator Lectorem inſignitèr eludit, confundens tempora: nam tempus, in quo *Liberius* adeò

adeò dolenter deplorabat *Paucitatem & Obscuritatem Ecclesiæ Catholicæ*, erat sub tyrannide *Constantii* Imp. Ariani, quandò, per *Arianorum* rabiem in verè Catholicos, Ecclesiæ status erat sanè afflictissimus; de quo Theod. Hist. lib. 2. cap. 15. *Liberius Episc. Romæ, Paulinus primariæ urbis Galliarum, Dionysius primariæ urbis insulæ Sardiniæ Episc. & Eusebius Episcopus Italiæ, ——quòd Arianæ hæresi consentire noluerunt, sedibus abrepti, & in exilium acti fuerunt.* Pergit Thodoretus, & *Lugentium Ecclesiarum undique ejulatus* narrat. At tempus, quo *Episcopi Galliæ, Hispaniæ, Britanniæ*, & cæterarum Nationum dicuntur assentionem *Nicænæ Synodo* præbuisse, erat regnante *Iovíniano* Imp. pacatis Ecclesiæ rebus: qui (ut Theod. lib. 4. cap. 4.) *Divinis rebus imbutus legem conscripsit, quæ jubebat frumenti congiarium Christianis reddi.* Hoc quod dixi demonstrat locus, à Confutatore ipso citatus, apud Theod. lib. 4. cap. 3. his verbis: *Pro certo scias velimus, Auguste sanctissime, hanc ipsam fidem ab omne seculorum memoria prædicatam fuisse: hanc confirmârunt sancti Patres Nicææ coacti, huic omnes ubique Ecclesiæ assensæ sunt, ut Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, exceptis paucis ——qui diu contagione hæresis Arianæ infecti, studio jam acriore veritati resistunt.* Quare cùm Confutator (pag. 219. negans *Arianam hæresin diffundi per orbẽ terrarum* tempore persecutionis sub *Constantio* Imp. Hæretico Ariano, quià in summa pace Ecclesiarum sub Imp. *Iovíniano* Catholico Regna plurima *fidei assenserunt*; perinde est, ac si negâsset nefandam persecutionem adversus Protestantes grassatam fuisse sub Regno *Reginæ Mariæ*, quoniam, regnante ELIZABETHA, pax alma florebat, & quasi dominabatur. Ad *Liberium* ipsum reverter, ut est apud *Theod.* l. 2. Hist. c. 16.

In

In Dialogo inter *Conſtantium* & *Liberium* interlocutiones hæ extiterunt. *Conſtantius* Imp. *Arianus*; *Tantanè orbis pars, Liberi, in te reſidet, ut tu ſolus homini impio ſubſidio venire, & pacem orbis, & mundi totius dirimere audeas?* Ad hæc Liberius. *Eſto, quòd ego ſim ſolus, non tamen propterea cauſa fidei ſit inferior: nam tres ſolum erant reperti, qui Regis mandato reſtiterunt.* Sic ille, intelligens *Tres* illos *in Babylone*. Non quòd *Liberius* poſuerit, aut ego crediderim in Eccleſia Chriſti, quæ immediatè poſt ejus reſurrectionem primùm formata & conſtituta erat, tantam pati poſſe Ecclipſin, ut ad perſonarum numerum millenarium, nedùm ternarium reduci poteſt, (abſit!) ſed quod hoc poſſe ſuppoſuerit duntaxat. Ex qua tamen ſuppoſitione hæc veritas emergit atque elucet, Tantam vel *Paucitatem* vel *Obſcuritatem* (ſi accidere poſſet) *Non cauſæ fidei Chriſtianæ obſtare* debere: quæ eſt duarum Notarum Bellarminianarum, viz. *Amplitudinis* & *Conſpicuæ viſibilitatis Eccleſiæ Catholicæ* negatio manifeſtiſſima. Eat nunc Confutator, ſuum adverſùs Mortonum livorem deponat, in *Liberium* Romanum Pontificem involet, cùm eo expoſtulet, cur ille *Cauſam Catholicam* apud Imperatorem Hæreticum tàm remiſsè exiliterque ageret? cur non *Amplitudinis*, & *Splendoris* Notas vēdicaverit, ſed ſeſe Adverſarium exhiberet (quod de Mortono hic Confutator) *Cauſam ſuſceptam prodentem atque perdentem?* Quod quàm verè probevè contrà Pontificem obblatteraret, Pontificii ipſi viderint. Cur jam ſat ſit Confutationem tertiæ vix portionis partis primæ *Apologiæ* me per replicam hanc ad dimidium ferè Libri ejus (id quod Confutator ſibi deputet eſſe in fœnore) compenſaſſe, rationem Caput primum indicavit.

Soli Deo Gloria in æternum.

Errata in quibuſdam Exempp.

Præf. pag. 5. lin. 19. (*lege*) Eccleſiæ. P. 7. l. 20. duabus (*lege*) quatuor. P. 10. l. 18, 19. *erat mendacium* (ſupple verba omiſſa) *ut ergò deſperandum ſit de Dei gratia.* P. 18. l. penult. aculei (*ſupple*) per Lutherum retuſi? P. 20. l. 26. *non invenisſent* (ſupple) *anigma meum.* P. 23. l. 22. (lege) *quia nuſquam erant, nec erunt.* P. 31. l. 23. (*lege*) jure obligationis. P. 42. l. 21. vel vix id (*lege*) vel nè id. lb. l. 24. (*lege*) excludat nonnunquam. P. 50. l. 17. (*lege*) Catholici ſc. P. 53. l. 22. (*lege*) alios. P. 55. l. 30. (lege) *judicet.* P. 58. l. 29. (*lege*) prudentiſſimorum prudentiſſimum. P. 59. l. 8. *generalis* (ſupple) *damnârunt.* P. 65. l. 26. (*lege*) deſipuerit. P. 68. l. 22. Inter *Dici* & eſſe (*lege*) inter *Fore & eſſe.* P. 69. l. 18 Catholicas ideò eſſe (dele verbum) *ideò.* P. 70. l. 13. (lege) *Eccleſia inviſibili.* P. 74. l. 7. (*lege*) in compendium. P. 95. l. ult. (lege) *dominatam.* P. 96. l. 4. (*lege*) Eccleſiam.